THEOLOGIA MORALIS

IN

COMPENDIUM REDACTA

AB

AMBR. JOS. STAPF,

THEOL. MOR. ET PAEDAGOG. PROFESSORE ATQUE CONSIL. ECCLES.
BRIXIN. ACTUALI.

TOMUS II.

EDITIO TERTIA.

OENIPONTI,
TYPIS ET SUMTIBUS WAGNERIANIS.
1832.

Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet, et Prophetae.

Matth. 22, 37. et seq.

ORDO DICENDORUM.

		Pag.
§. 153.	Notio et ambitus Ethicae applicatae	1
§. 154.	Summaria divisio officiorum	2

PARS PRIOR

ETHICAE APPLICATAE DE OFFICIIS IMMEDIATIS ERGA DEUM.

SECTIO I.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

§. 155.	Dignitas illarum	4

A.

DE FIDE THEOLOGICA.

Caput I.

Expositio hujus officii.

§. 156.	Notio fidei in genere	7
§. 157.	Notio fidei theologicae	10
§. 158.	Utilitas ac necessitas fidei christianae	12
§. 159.	Num detur obligatio credendi	14
§. 160.	Objectum fidei christianae	15
§. 161.	Titulus et gravitas hujus officii	17
§. 162.	Qua ratione fidem solidatam esse oporteat	19
§. 163.	Continuatio	21
§. 164.	Fides nostra sit viva et efficax	24
§. 165.	Professio fidei	25
§. 166.	Studium religionis dilatandae	28

Caput II.

De peccatis fidei oppositis.

§. 167.	De atheismo et pantheismo	31
§. 168.	Naturalismus	33
§. 169.	Indifferentismus	34
§. 170.	De haeresi	36
§. 171.	Improba aliorum accusatio de haeresi	38
§. 172.	De iis, qui circa religionem dubitant	41
§. 173.	Apostasia a fide	43
§. 174.	Superstitio religiosa	44
§. 175.	Continuatio	45
§. 176.	Continuatio	46
§. 177.	Malitia superstitionis	48
§. 178.	De iis, quibus fides in discrimen adducitur	50

B.

DE SPE THEOLOGICA.

Caput I.

Expositio hujus officii.

		Pag.
§. 179.	Notio spei theologicae	53
§. 180.	Ejusdem titulus et motiva	53
§. 181.	Continuatio	56
§. 182.	Quid nos sperare oporteat	58
§. 183.	De sanctitate spei christianae	58
§. 184.	Quomodo spes nostra ordinata esse debeat	61
§. 185.	De firmitate ipsius	63
§. 186.	Diluuntur objectiones	64
§. 187.	Conciliatio spei cum timore	66

Caput II.

Peccata opposita.

§. 188.	Contra sanctitatem	68
§. 189.	Fiducia superstitiosa	68
§. 190.	Continuatio	70
§. 191.	Peccata firmitati opposita	71

C.

DE THEOLOGICA CHARITATE.

§. 192.	Ejusdem notio	73
§. 193.	Tituli hujus officii	74
§. 194.	Ipsius dotes	77
§. 195.	Praecipuae exhibitiones hujus amoris	80
§. 196.	Timor filialis	81
§. 197.	Studium perfectionis	83

SECTIO II.

DE CULTU DIVINO.

§. 198.	Officium DEUM colendi	85
§. 199.	Indoles et partitio hujus officii	87

A.

OFFICIA RELIGIONIS ORDINARIA.

Caput. I.

De cultu divino generatim.

§. 200.	Notio orationis	88
§. 201.	De oratione vocali	90
§. 202.	De adoratione et gratiarum actione	94
§. 203.	Petitio honorum	96
§. 204.	Respondetur ad objectiones	99
§. 205.	Effectus precum nostrarum	100
§. 206.	Dotes orationis	102
§. 207.	Continuatio	104

Pag.
§. 208. Intercessio pro aliis 106
§. 209. Quantum nos orare oporteat 107
§. 210. De horis canonicis 110
§. 211. Continuatio 114

Caput II.

De cultu DEI communi et publico.

§. 212. Officium cultus communis 116
§. 213. Refelluntur objectiones 120
§. 214. Partes hujus cultus 121
§. 215. De sacrificio generatim 123
§. 216. De sacrificio Missae 125
§. 217. Continuatio 127
§. 218. De diebus festis 129
§. 219. Abstinentia a servilibus 130
§. 220. Frequentatio divini officii 133
§. 221. Qua ratione sanctitas horum dierum evertatur . 136
§. 222. De rebus divinis atque DEO sacratis 140
§. 223. Cultus domesticus 142

Caput III.

Peccata his officiis opposita.

§. 224. Odium et formalis contemtus DEI 143
§. 225. De blasphemia directa 145
§. 226. De blasphemia indirecta 148
§. 227. Continuatio 150
§. 228. De sacrilegio 151
§. 229. Continuatio de abusu Sacramentorum 152
§. 230. De Simonia 154
§. 231. Actus, qui non sunt simoniaci 155
§. 232. De mysticismo 158
§. 233. De acedia et tepiditate 159

B.

DE OFFICIIS ERGA DEUM EXTRAORDINARIIS.

Caput I.

De jurejurando.

§. 234. Notio ejusdem 162
§. 235. Necessitas et utilitas 164
§. 236. Conditiones 166
§. 237. Effectus jurisjurandi 167
§. 238. Peccata his officiis adversa 170
§. 239. Officia jusjurandum imponentium 171

Caput II.

De voto.

§. 240. Quid sit votum 172
§. 241. Finis et utilitas 173
§. 242. Quomodo vota concipi debeant 176
§. 243. Obligatio inde descendens 177
§. 244. Cessatio hujus obligationis 179

PARS ALTERA

ETHICAE APPLICATAE DE OFFICIIS MEDIATIS ERGA DEUM.

Pag.
§. 245. Brevis introductio 183

SECTIO I.

OFFICIA ERGA BEATOS ET PIE DEFUNCTOS.

Caput I.

De cultu Sanctorum.

§. 246. Rationes hujus cultus 185
§. 247. Discrimen inter latriam et duliam 187
§. 248. Exhibitiones hujus cultus 188
§. 249. Cultus Ss. imaginum et reliquiarum 190
§. 250. Peccata opposita 192

Caput II.

De cultu hyperduliae.

§. 251. Momenta hujus cultus 193
§. 252. Utilitas 194

Caput III.

§. 253. Officia erga animas in purgatorio detentas . . . 196

SECTIO II.

OFFICIA ERGA SE IPSUM.

§. 254. Notiones praeviae 198

Caput I.

Officia generalia.

§. 255. Qua ratione unusquisque semet novisse debeat . 200
§. 256. Continuatio 202
§. 257. Justa sui aestimatio 204
§. 258. De officio humilitatis 206
§. 259. Continuatio 209
§. 260. Nexus humilitatis cum sui aestimatione 211
§. 261. Vitia opposita 212
§. 262. Continuatio 214

Caput II.

Officia quantum ad bona animi.

§. 263. Partitio bonorum 216
§. 264. Officia quantum ad bona supernaturalia 217
§. 265. Officium semet abnegandi 220
§. 266. Continentia in sensu latiori 223
§. 267. Patientia et mansuetudo 224
§. 268. Praecipua subsidia 226
§. 269. Peccata opposita 228
§. 270. Facultas intelligendi 231
§. 271. Prudens sciendi studium 233
§. 272. De imaginatione 235
§. 273. Continuatio 238
§. 274. De sensionibus aestheticis 239
§. 275. Sensiones sublimiores 241

Caput III.

Officia quoad bona vitae et corporis.

A.

Officia quoad vitam.

		Pag.
§. 276.	Principia generalia	243
§. 277.	Dignitas humani corporis	246
§. 278.	Crimen autochiriae	247
§. 279.	Ejusdem causae	250
§. 280.	Continuatio	252
§. 281.	Remedia	254
§. 282.	De non pessumdanda sanitate et integritate corporis	255
§. 283.	Indirecta sui destructio	256
§. 284.	Cura et amor vitae	258
§. 285.	Restrictio hujus officii	259
§. 286.	Officia tempore infirmitatis	261
§. 287.	Continuatio	263

B.

Officia quoad victum et vestitum.

§. 288.	Justa nutritio corporis	265
§. 289.	Continuatio	268
§. 290.	Abstinentia	269
§. 291.	De jejunio ecclesiastico	270
§. 292.	Peccata opposita	274
§. 293.	Officium sobrietatis	275
§. 294.	Ebriositas	276
§. 295.	Continuatio	280
§. 296.	Officia quoad vestitum	281
§. 297.	Regulae practicae	283
§. 298.	Vitia opposita	286

C.

De officio castitatis.

§. 299.	Notio castitatis	288
§. 300.	Rationes hujus officii	290
§. 301.	Variae species castitatis	294
§. 302.	Diluuntur potissimae objectiones	294
§. 303.	Peccata interna	297
§. 304.	Actus externi sed imperfecti	298
§. 305.	Peccatum fornicationis	299
§. 306.	Peccata adulterii, incestus etc.	302
§. 307.	Peccata contra naturam	305
§. 308.	Continuatio de mollitie	307
§. 309.	Actus ad luxuriam disponentes	309
§. 310.	Continuatio	311
§. 311.	Num in his peccatis detur parvitas materiae	315
§. 312.	Castitatis servandae media	316

Caput IV.

De honesto usu gaudiorum.

A.

Principia generalia.

§. 313.	Utilitas gaudiorum	318
§. 314.	Justa illorum selectio	319
§. 315.	De ipso gaudiorum usu	321

B.

Censura quorundam oblectamentorum.

		Pag.
§. 316.	Amica conversatio et convivia	322
§. 317.	Choreae et saltationes	324
§. 318.	Ludi scenici	326
§. 319.	Lusus	327

Caput V.

De justa applicatione virium.

A.

De eligendo certo statu.

§. 320.	Momenta hujus doctrinae	329
§. 321.	Regulae in hoc negotio servandae	330
§. 322.	Continuatio	332
§. 323.	De superando status initi taedio	334
§. 324.	Vitia opposita	336

B.

De officio sedulitatis.

§. 325.	Expositio hujus officii	337
§. 326.	Conditiones justae sedulitatis	339
§. 327.	Vitia opposita	342

Caput VI.

De fama et benevolentia.

§. 328.	Praeviae notiones	343
§. 329.	Rationes hujus officii	344
§. 330.	Ejusdem limites	346
§. 331.	Regulae practicae	348
§. 332.	Continuatio	349
§. 333.	Peccata opposita	351

Caput VII.

Dominium in alios.

§. 334.	Emolumenta dominationis	354
§. 335.	Pericula et incommoda	355
§. 336.	Regulae practicae	356

Caput VIII.

Officia quoad bona fortunae.

§. 337.	Officium necessaria sibi comparandi	357
§. 338.	Continuatio	359
§. 339.	De studio ditescendi	361
§. 340.	Prudens administratio rerum	363
§. 341.	Hujus neglectus et prodigentia	366
§. 342.	Avaritia	367
§. 343.	Speciatim de usu animantium	370
§. 344.	De luxu	372
§. 345.	Luxus vitiosus	374

ETHICA APPLICATA.

BREVIS INTRODUCTIO.

§. 153.

Notio et ambitus Ethicae applicatae.

1. Postquam inde a §. 30. legem divinam atque conditionem hominis, qui eidem obsequitur, adversaturve, generatim exhibui, nunc principia ibidem stabilita ad singulos vitae usus applicare, et juxta dictamina rationis per revelationem illustratae primum illud et maximum mandatum, ex quo universa lex pendet et Prophetae, in suas quasi partes distribuere aggredior. Atque in hoc ipso Ethica applicata versatur, quae aliud non est, quam legitima deductio singulorum officiorum, quibus quaecunque ratione tenemur.

2. Verum res ipsa expetit, ut una cum officiis etiam eorundem tum impedimenta tum subsidia indigitentur; et pari modo ut, dum peccata cuivis virtuti opposita pandimus, designemus quoque, qui sint praecipui illorum fontes, quae occasiones, et qua ratione iisdem mederi oporteat. Quare etiamsi Ethica cum Ascesi confundi non debeat, fieri tamen nequit, ut prorsus separentur, eoquod *necessaria virtutis subsidia* veri nominis officia constituant, et vicissim executio reliquorum officiorum per unamquamque virtutem multum facilitetur. Quantum e. g. pietas erga DEUM, studium orationis, vel sedulitas in laborando confert, ut etiam reliquis officiis rite satisfiat! E contrario

quis ignorat, quam arcte diversa vitia sibi cohaereant, ita ut, dum uni succubuisti, mox etiam alteri in praedam devenias? §. 114. Quare Theologiam nostram ita disponemus, ut *generalem quidem methodum* christianae Asceseos separatim exhibituri simus, *specialia* vero tum impedimenta tum subsidia, quae officia singula concernunt, ipsi Ethicae inseramus.

3. Porro cum ex supremo principio DEUM ex *toto corde* et *omnibus viribus* diligere jubemur, ita ut etiam charitas proximo exhibenda necessario in amorem DEI desinat; prone inducitur, omnia officia, quae nobis incumbunt, esse *officia erga DEUM.* Et sane cum DEUS a lege suprema non differat, verissimum est, quod S. August. ait: „*Quidquid bene fit, DEO fit, quia ex ejus praecepto peragitur.*"

4. Attamen haec non obstant, quo minus officiorum diversitas statuatur, dum nempe praeter genus commune etiam *notam specificam* attendimus. Atque hanc officiorum differentiam merito ex *titulo debendi*, seu ex ea ratione repetimus, per quam proxime obligamur. Quare sequentem praevie officiorum typum describimus.

§. 154.

Summaria divisio officiorum.

1. Suprema honestatis lex sua quasi sponte in duas hasce species abit, scilicet *a)* ut DEUM *proxime* ceu ens absolutum omni reverentia et cultu prosequamur, et *b)* ut prout nosmet ipsos, ita et reliquos, qui immediate ad DEUM facti, et ab eo decretorie nondum reprobati sunt, cum ipso conjunctos atque unitos velimus. Et horum quidem aliqui stadium suum jamjam feliciter emensi sunt, alii vero adhuc in arena decertant, quo tum nosmet ipsi tum commilitones nostri adhuc in ancipiti haerentes spectamus.

2. Ex his notissima illa divisio resultat, qua alia officia erga DEUM *immediata*, alia vero *mediata* dicimus.

3. In praesenti tractatione jam ea officia percensebo, quae DEO proxime, seu immediate debentur. Haec porro vel ex *titulo infinito*; vel *finito* descendunt; unde recepta illa distinctio resultat, qua virtutes theologicae a virtute religionis discernuntur *).

*) Scilicet *virtutes theologicas* dicunt, quae proxime DEUM ipsum pro *objecto materiali*, saltem primario, et ejusdem perfectionem *pro formali*, seu motivo habent. Ad *religionem* vero spectat, ut DEO tamquam Creatori, atque gubernatori nostro seu ob beneficia creata debitum cultum persolvamus. Vid. S. Thom. 2, 2. Q. 81. art. 3.

PARS PRIOR.

ETHICAE APPLICATAE DE OFFICIIS IMMEDIATIS ERGA DEUM.

SECTIO I.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

§. 155.

Dignitas illarum.

1. Virtutes theologicae sunt *fides*, *spes et charitas* I. Cor. 13, 13. Et has quidem virtutes etiam *infusas* dicimus, eoquod illarum *habitus* homini in ipsa justificatione et quidem gratis et largiter infundantur. Trid. Sess. 6. cap. 7. *).

2. Ast hoc ipso, quod hae obligationes titulo infinito nitantur, sunt quoque ex omnibus gravissimae; hinc etiam juxta communem theologorum sententiam in *consideratione objectiva* nullam parvitatem materiae admittunt.

*) Equidem etiam reliquarum virtutum habitus nobis ingeruntur. Praecipue tamen de theologicis id obtinet, utpote quibus non solum divinae oeconomiae inserimur, sed tamquam viva membra ejusdem per Spiritum sanctum animamur, atque ad perfectionis culmen contendimus. „Domus DEI credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.“ S. Aug. Neque haec virtutis infusae nuncupatio aliquem offendere potest, si cogitaverit, hominem, ut *actus supernaturales* eliciat, supernaturali quoque *habilitate* indigere, eoquod natura semet ipsam transcendere nequeat. Insuper notandum, habitum *charitatis* per omne peccatum lethale, habitum *fidei* vero et *spei supernaturalis* tum solum everti, ubi contra has ipsas virtutes graviter peccatur.

In ipsa praxi utique semper etiam *subjectiva peccantis dispositio* consideranda venit, unde omnino fieri potest, ut ob defectum cognitionis, advertentiae, vel libertatis nonnisi venialiter peccetur.

3. Ex eadem ratione infertur, has virtutes sedulo exercendas atque in usum deducendas esse. Et quidem *virtualiter* easdem sine ulla interruptione semper foveri oportet; ast insuper illas frequenter etiam *de novo elicere* jubemur, tum ut earundem habitum vivum semper et efficacem conservemus, tum ut DEO ipsi per hasce exercitationes justum devotionis nostrae persolvamus tributum. Quam ob rem praecipua momenta harum virtutum saepissime ruminare, atque sensus inde conceptos testatos facere decet. Id quidem absque certa verborum formula fieri potest; attamen res est saluberrima, si ea, quae essentiam tantarum virtutum constituunt, ad definitam aliquam formam rediguntur. Quem enim latet, hoc modo exercitium virtutum theologicarum plurimum promoveri ac facilius reddi, praesertim quoad eos, qui vel generatim, vel tamen in doctrina religionis minus perspicaces sunt? Ne tamen usus talium formularum in merum mechanismum degeneret, ad officia pastoris spectat, ut populum circa has nobilissimas virtutes sedulo instruere, et ipsas quoque formulas, quae publice recitari solent, iterato explanare conetur.

Insuper plurimum interest, qua ratione ejusmodi formulae *publice recitentur*. Si sacerdos ipse hujus generis preces absque omni sensu pietatis, imo frigide et quasi tumultuarie deblaterat, quid mirum, si etiam communitas DEUM nonnisi labiis veneratur? Absit quidem in praeeundis publicis precibus omnis affectatio, et quidquid declamatorium videtur; attamen distincte semper et ita recitari debent, ut sacerdos sinceram pietatem spiret. Hoc modo tales formulae fient, quod Ecclesia per illas intendit, nempe vasa ad conservandum religionis spiritum adaptata, et idonea vehicula, quibus corda hominum sursum evehantur.

PARS PRIOR.

ETHICAE APPLICATAE DE OFFICIIS IMMEDIATIS ERGA DEUM.

SECTIO I.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

§. 155.

Dignitas illarum.

1. Virtutes theologicae sunt *fides*, *spes et charitas* I. Cor. 13, 13. Et has quidem virtutes etiam *infusas* dicimus, eoquod illarum *habitus* homini in ipsa justificatione et quidem gratis et largiter infundantur. Trid. Sess. 6. cap. 7. *).

2. Ast hoc ipso, quod hae obligationes titulo infinito nitantur, sunt quoque ex omnibus gravissimae; hinc etiam juxta communem theologorum sententiam in *consideratione objectiva* nullam parvitatem materiae admittunt.

*) Equidem etiam reliquarum virtutum habitus nobis ingeruntur. Praecipue tamen de theologicis id obtinet, utpote quibus non solum divinae oeconomiae inserimur, sed tamquam viva membra ejusdem per Spiritum sanctum animamur, atque ad perfectionis culmen contendimus. „Domus DEI credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.“ S. Aug. Neque haec virtutis infusae nuncupatio aliquem offendere potest, si cogitaverit, hominem, ut *actus supernaturales* eliciat, supernaturali quoque *habilitate* indigere, eoquod natura semet ipsam transcendere nequeat. Insuper notandum, habitum *charitatis* per omne peccatum lethale, habitum *fidei* vero et *spei supernaturalis* tum solum everti, ubi contra has ipsas virtutes graviter peccatur.

In ipsa praxi utique semper etiam *subjectiva peccantis dispositio* consideranda venit, unde omnino fieri potest, ut ob defectum cognitionis, advertentiae, vel libertatis nonnisi venialiter peccetur.

3. Ex eadem ratione infertur, has virtutes sedulo exercendas atque in usum deducendas esse. Et quidem *virtualiter* easdem sine ulla interruptione semper foveri oportet; ast insuper illas frequenter etiam *de novo elicere* jubemur, tum ut earundem habitum vivum semper et efficacem conservemus, tum ut DEO ipsi per hasce exercitationes justum devotionis nostrae persolvamus tributum. Quam ob rem praecipua momenta harum virtutum saepissime ruminare, atque sensus inde conceptos testatos facere decet. Id quidem absque certa verborum formula fieri potest; attamen res est saluberrima, si ea, quae essentiam tantarum virtutum constituunt, ad definitam aliquam formam rediguntur. Quem enim latet, hoc modo exercitium virtutum theologicarum plurimum promoveri ac facilius reddi, praesertim quoad eos, qui vel generatim, vel tamen in doctrina religionis minus perspicaces sunt? Ne tamen usus talium formularum in merum mechanismum degeneret, ad officia pastoris spectat, ut populum circa has nobilissimas virtutes sedulo instruere, et ipsas quoque formulas, quae publice recitari solent, iterato explanare conetur.

Insuper plurimum interest, qua ratione ejusmodi formulae *publice recitentur*. Si sacerdos ipse hujus generis preces absque omni sensu pietatis, imo frigide et quasi tumultuarie deblaterat, quid mirum, si etiam communitas DEUM nonnisi labiis veneratur? Absit quidem in praeeundis publicis precibus omnis affectatio, et quidquid declamatorium videtur; attamen distincte semper et ita recitari debent, ut sacerdos sinceram pietatem spiret. Hoc modo tales formulae fient, quod Ecclesia per illas intendit, nempe vasa ad conservandum religionis spiritum adaptata, et idonea vehicula, quibus corda hominum sursum evehantur.

4. Verum *quoties* nos hosce virtutem theologicarum actus concipere oportet? Absque dubio ad consilium de bono meliori pertinet, ut *frequentissime* obeantur, praesertim *diebus festis*, utpote quorum fini haec devotionis exercitia praeprimis conveniunt. Si tamen de *stricto praecepto* quaeritur, plerique respondent, hos actus concipiendos esse, *a)* dum quis post obtentum rationis usum harum virtutum momenta sat perspicere coepit; *b)* in articulo mortis, vel ingravescente infirmitate; *c)* implicite saltem, quoties quis Sacramentum aliquod suscipit, et *d)* denique saepius per annum, toties nimirum, ne *ipsarum habitus* flaccescat, vel omnino extinguatur; cumque non omnium eadem conditio sit, vix universalis regula statui potest; quo magis enim aliquis curis et negotiis temporalibus distenditur, vel quo vehementiores tentationes e. g. contra fidem, spem vel charitatem sustinet, eo frequentius quoque earundem habitum firmare debebit.

Ad essentiam horum exercitiorum spectat, ut ad vivum nobis repraesentemus, *quid* unaquaeque virtus expetat, et *quo titulo* haec exactio nitatur, e. g. *quid* teneor credere, et *cur?* etc. Praesertim mens nostra saluberrimis sensibus perfundi solet, ubi *momenta* et *rationes* harum virtutum mature perpendimus.

Qui hosce actus vel penitus negligunt, vel nonnisi perraro exercent, certe ingentem suspicionem creant, ipsum quoque harum virtutum habitum in suis animis valde sopitum esse. Praeterea lethale circa religionem frigus testantur, et officio DEUM immediate colendi aperte desunt. Magnam difficultatem illi quoque facessunt, qui haec exercitia ne callent quidem. Et si quidem tales, etiamsi formulas nesciant, saltem *rem et essentiam* harum virtutum intelligunt, atque sacerdotem, ubi formulas publice praelegit, si non lingua, attamen mente sequi conantur, de his quantum ad hoc caput nihil timendum videtur. Ast si qui sunt, qui *rem ipsam*

ignorant, tales certe, dum forte in confessionali compareant, eousque absolvi nequeunt, donec sufficienter instructi fuerint *). Difficillimum negotium, ut Oberrauch inquit, non raro se offert circa aegrotos, qui in malo animae statu existentes, viribus jam fracti, et a sacris jam aliunde abhorrentes ad concipiendos harum virtutum actus vix non inepti reperiuntur. In his res iterato tentanda erit, et praeterquam quod pro casu restitutae sanitatis majorem curam spondeant, inducendi sunt, ut mentem suam ad sensum Ecclesiae conformare satagant. Ex his abunde patet, quanta cum solertia curatores animarum haec tanta officia explicare et provehere debeant. Praesertim scholae occasionem nobis peropportunam praebent hasce virtutes exponendi inculcandique, ut firmas radices agant.

A.

DE FIDE THEOLOGICA.

Caput I.

Expositio hujus officii.

§. 156.

Notio fidei in genere.

1. Fidem recte totius vitae christianae basin dicimus; „*accedentem enim ad DEUM oportet credere, quia est.*“ Hebr. 11, 6. Unde divinus Spiritus ipse testatur: „*Justus autem meus ex fide vivit.*“ Hebr. 10, 38. Distinguunt vero plerique tres cognitionum species, dum nempe aliquid vel *scimus*, vel *credimus*, vel *opinamur.*

2. Et quidem *scire* dicimur, quidquid nobis vel ex *rationibus intrinsecis*, ex ipsius quasi causae visceribus,

*) Vid. prop. 64. ab Innocent. XI. damnat.

vel ex *propria et indubitata experientia* certum et eliquatum videtur. E contrario, ubi ex probatis aliorum testimoniis aliquid pro certo tenemus, *credere* perhibemur; *opiniones* denique, conjecturae, vel sententiae mere probabiles resultant, ubi argumenta veritatis adeo firma non sunt, ut exinde *judicium penitus certum* concipi possit.

Kantiani aliud adhuc fidei genus astruunt, scilicet *fidem rationis*, dum aliquid ideo tamquam verum adoptamus, quia cum aliis veritatibus certis prorsus et eliquatis inseparabiliter cohaeret.

De praestantia fidei historicae vid. Murator. de ingen. mod. l. 1. c. 3. et 5. Item Huet. Demonst. Evang. Praef. N. 3.

3. Jam vero estne perceptio, quam de DEO ejusque existentia habemus, mera *opinio?* Vel si quidem haec perceptio prorsus certa sit, num illam *scientiam* vel *fidem* compellabimus? Verum absit, ut illam *meram opinionem* dicamus! Quisquis ratione utitur, intime percipit, dari absolutam aeternamque *veritatem*, quae a DEO plane non differt. Et quia, quidquid verum censemus, cum hac suprema norma comparare cogimur, invicte resultat, hanc ipsam DEI ceu entis absoluti perceptionem ex omnibus primam et simul certissimam esse. §. 3. et seq. Vel quid demum illi certum erit, cui de *veritate* nondum constat? Hinc revera omni tempore et ubique gentium aliquam entis absoluti notionem reperimus, quae quamvis multoties subobscura, imo ad ingentes superstitiones detorta fuerit, neminem tamen plene destituit.

Etiam illi errant, qui docent, nos nonnisi *negativum de DEO conceptum* habere, ita ut nesciamus, *quid DEUS sit*, sed tantum sciamus, quid *non sit*. Ast dum in DEO primam et absolutam omnium, quae sunt, normam percipimus, notionem utique ajentem tenemus. Et quaeso, nisi ens absolutum proxime ac immediate perciperemus, qua ratione res crea-

tae, quae omnes finitae sunt, illius notionem nobis subministrare possent? Revera non conceptus *infiniti*, sed *entis finiti* aliquam negationem involvit, et proinde absque praevia notione *entis infiniti* ne dicere quidem possemus, res creatas *esse finitas*.

4. Cum igitur nostra Divinitatis perceptio certissima sit, estne *scientia*, *an fides*? Verum nomen *scientiae* perceptio isthaec exinde haud mereri videtur, quia suapte indole saltem in moderna hominis conditione admodum obscura et latens esse consuevit. Sed pari modo nefas foret, hanc entis absoluti perceptionem *fidem* dicere, utpote quam non ex aliorum testimoniis, sed ex immediato intuitu rationis haurimus.

Non minus Kantius fallitur, dum existentiam DEI ad *fidem rationis* refert, acsi nempe reflexe tantum argumentari liceat: Datur suprema lex honestatis; atqui, nisi DEUS admittatur, haec lex suo caret executore; ergo datur quoque DEUS. Verum annon in suprema illa honestatis lege aliquid percipis, quod aeternum, absolutum et per se subsistat? Atqui hoc ipsum ens absolutum Divinitatem dicimus, utquid ergo DEUM aliunde postulas, per quem tamen immediate irradiaris?

5. Quare datur quidem immediata DEI perceptio, atque de ipsius existentia adeo certi sumus, ut contrarium ne cogitari quidem queat. Qui DEUM negat, ipsam quoque *veritatem* inficiatur, quia DEUS est veritas ipsa; quomodo vero illi fidem adhibebimus, qui veritatem negat? Hinc atheismus semet ipsum evertit, dum sententiam suam, qua aeternam veritatem inficiatur, nihilominus ceu *veram* jactat.

6. Attamen haec simplex Divinitatis perceptio nec scientia nec fides nuncupari meretur; bene vero, ubi magis explicatur, tum ad scientiam tum ad fidem elevari potest. Et quidem ad scientiam evehitur, dum ratio nostra id, quod nonnisi obscure perceperat, jam perspicue intuetur, atque

Divinitatis plene conscia redditur. Hunc in finem praeprimis faciunt:

a) Attenta *consideratio rerum creatarum*, quae, cum series in infinitum non detur, non tantum aeternum atque divinum aliquod principium innuunt, sed, cum tanta rerum concinnitas, et tam stupendus totius universi cursus deprehendatur, auctorem etiam infinite sapientem ac benignum designant. „*Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas.*“ Rom. 1, 20.

b) Tum vero praecipue *consideratio nostri ipsorum*, dum praeter alias praeclaras dotes experimur, rationem nostram per veritatem aeternam irradiari, voluntatem per absolutam honestatis normam dirigi, et denique mentem nostram ad bonum infinitum ferri.

7. Non minus perceptio isthaec *ad fidem* elevari potest, dum scilicet per *aliorum testimonia* illum, quem intime persentiscimus, atque ejusdem attributa credendo assequimur. Quam quidem fidem vel *humanam*, vel *divinam* dicimus, prout nempe auctoritati humanae tantum, vel ipsius revelantis DEI innititur. Nos jam de fide divina tractaturi sumus.

§. 157.

Notio fidei theologicae.

1. Immediata DEI perceptio, qua omnes insignimur, certe nullo alio medio magis perfici et illustrari potest, quam per positivam revelationem, qua DEUS tum se tum relationem nostram ad ipsum nobis patefacit. Et sane in praesenti corruptione generis humani talis revelatio ad summas nostras indigentias spectat; quid enim omnium aetatum historia refert, nisi gravissimos errores et lugendam rerum divinarum ignorantiam? §. 15. et seq.

2. Revera ex factis certissimis constat, DEUM inde ab exordio tum se tum voluntatem suam per revelationem positivam manifestasse. Praesertim vero per JESUM Christum plena regni coelestis notitia nobis obtigit. „*Multifariam multisque modis olim DEUS loquens patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit haeredem universorum, per quem fecit et saecula; qui cum sit splendor gloriae, et figura substantiae ejus, portansque omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis.*" Hebr. 1, 1. et seq.

3. Sed haec ipsa DEI revelatio gravissimum officium involvit, ut illam promto animo amplectamur; cum certe peccatum immane foret DEO revelanti fidem denegare. Quare officium fidei theologicae definimus, esse obligationem ea omnia, quae DEUS positive revelavit, ob infinitam ipsius auctoritatem credendi.

In divinis literis nomen *fidei* multiplicem sensum offert; nempe

a) interdum fides animi nostri assensum exprimit, quo veritates revelatas adoptamus, e. g. dum S. Jacobus fidem sine operibus mortuam dicit. Jac. 2, 26.

b) Saepe in sensu magis practico occurrit tamquam *fides, quae per charitatem operatur.* Gal. 5, 6.

c) Saepissime fides firmam et *indubitatam spem* denotat, e. g. „*confide filia, fides tua te salvam fecit.*" Matth. 9, 22.

d) Praecipue S. Paulus sub nomine fidei frequenter illum animi affectum intelligit, quo divino Mediatori inhaerentes salutem nostram nonnisi per illum exspectamus, e. g. dum ad Rom. justificationem hominis *ex fide* repetit.

e) Hinc inde fides *fiduciam extraordinariam* enuntiat, e. g. „*si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam etc.*" I. Cor. 13, 2.

f) Aliquando sub fide firma animi persuasio, seu *conscientia* accipitur, e. g. „*omne, quod non est ex fide, peccatum est.*" Rom. 14, 23.

g) Demum, ut alia omittam, interdum fides *fidelitatem in adimplendis promissis* designat, e. g. „*numquid incredulitas illorum fidem DEI evacuabit?*“ Rom. 3, 3. Nos jam fidem in sensu primo pertractabimus, seu qua assensum divinae revelationi ex titulo infinito praestandum.

§. 158.

Utilitas ac necessitas fidei christianae.

1. Absque dubio fides christiana, et resultans inde DEI coelestisque oeconomiae cognitio inter omnes reliquas notitias in immensum excellit. „*Haec est enim vita aeterna, ut cognoscant te solum DEUM, et quem misisti, JESUM Christum.*“ Joann. 17, 3. Unde et Apostolus asseverat: „*Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam JESU Christi, Domini mei.*“ Philipp. 3, 8. Ut adeoque merito cum Propheta dicamus: „*Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.*“ Ps. 118. Cf. Sap. 15, 3.

Si vero jam *fides theoretica* tanti habenda est, quid demum de felicissima illa conditione dicemus, qua per Sacramentum regenerationis in divinam salutis oeconomiam cooptati Christum per *fidem vivam et efficacem* quasi comprehendimus ipsumque revera *nostrum* facimus, ita ut ipsius merita nobis actu obtingant, atque virtutes nostrae ad meritum de condigno evehantur?

2. Atque hoc donum fidei christianae ad gratitudinem eo majorem nos provocat, cum non ex praeviis meritis nostris, sed ex sola DEI gratia in nos collatum fuit. „*Non enim volentis, neque currentis, sed miserentis est DEI.*“ Rom. 9, 16. Quam ob rem Christus ipse Patrem suum depraedicat: „*Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae; quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita Pater; quoniam sic fuit placitum ante te.*“ Matth. 11, 25. etc. Et

Petro dicitur: „*Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in coelis.*“ Matth. 16, 17. Generatim, ut veram fidem ceu singulare DEI donum suspiciamus, Christus ait: „*Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.*“ Joann. 6, 44.

3. Imo fides in Christum non tantum utilissima, sed ad salutem prorsus necessaria est. Genus enim humanum peccato corruptum et a DEO avulsum nonnisi per divinum Mediatorem salvari potest. „*Nec enim aliud est nomen sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*“ Act. 4, 12. „*Qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira DEI manet super eum.*“ Joann. 3, 36. Unde quisquis divini Redemtoris et institutae ab eo oeconomiae expers vivit, Mediatore destituitur, et ira DEI manet super eum. Quapropter etiam veram Christi Ecclesiam jure *unam salvificam* dicimus, quippe cum vera salutis oeconomia per Christum stabilita nonnisi una esse possit. Hinc plures ex Ss. Patribus Ecclesiam cum arca noahica comparant, ubi, quicunque extra illam versabantur, communi excidio involuti undisque feralibus absorpti fuerunt. De his tamen Dogmatica.

4. Ex quibus recte inferimus, veram fidem *totius salutis fundamentum* esse. „*Sicut palmes non potest ferre fructum a semet ipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis.*“ Joann. 15, 4. Scilicet „*sine fide impossibile est placere DEO.*“ Hebr. 11, 6. Quantum igitur falluntur, falluntque, qui rem prorsus indifferentem esse docent, cui religioni quisque adstipuletur! Aeque patet, quantumcunque de vera religione nobis gratulari debeamus, summum tamen nefas fore, si de illa superbiremus; quippe qui non ex propriis meritis, sed ex sola DEI misericordia vocati sumus. „*Quod si aliqui ex*

ramis fracti sunt, tu autem, cum oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis et pinguedinis olivae factus es, noli gloriari adversus ramos, noli altum sapere, sed time." Rom. 11, 17. et seq.

§. 159.

Num detur obligatio credendi.

1. Etiamsi fides ad salutem prorsus necessaria sit, aliqui tamen sciscitantur, utrum detur obligatio credendi? „*Cum enim fides in solo assensu intellectus nostri subsistere videatur, ille, qui de revelatione divina certus est, ad assensum etiam invitus abripitur; qui vero illam ignorat, credere ne potest quidem.*" Verum re exactius perpensa sponte eruitur, plurima esse, quae in negotio fidei ad liberam hominis voluntatem spectant, et exinde fidem rectissime in classem officiorum redigi. Et inprimis quidem absque dubio ad hominis voluntatem pertinet, repudiatis quibusque praejudiciis sedulo *veritatem inquirere;* scilicet an detur revelatio divina, et ubinam illa integra ac incorrupta inveniri possit. Animum certe perversum ostendit, qui divini consilii ac propriae salutis incurius illa investigare negligit, quae a benignissimo numine ad redemtionem nostram tam paterne disposita fuerunt, et ex quibus tota aeternitas pendet. Divinae literae pulcherrima hujus sedulitatis, qua hominem veritatem inquirere oportet, exempla referunt, praesertim pii Cornelii, Act. 10. et Beroënsium, „*qui susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes scripturas, si haec ita se haberent.*" Act. 17, 11.

2. Verum etiam in *adoptanda* veritate voluntati nostrae campus sat magnus relinquitur; aliud enim est *veritatem percipere*, et aliud veritatem cognitam amplecti, seu eidem *assensum praebere;* perceptio ad intellectum, as-

sensus vero ad voluntatem refertur. Unde qui vel praeconceptis opinionibus, vel sinistro aliquo affectu detinetur, huic nulla credibilitatis momenta sufficere videbuntur, sed dilectum errorem ambobus brachiis constrictum tenebit, et quamvis ratio plene convicta sit, veritati tamen pertinaciter obniti perget. Sic e. g. Pharisaei, ne Christo fidem adhiberent, ejusdem dicta et opera perversissime detorquere studuerunt, et omnem moverunt lapidem, tantum ne veritati in suis animis relucenti assentire cogerentur. Et utinam hoc *peccatum in Spiritum sanctum*, seu directa renitentia contra cognitam veritatem adeo frequens non foret! Sed *„quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam, quae a solo DEO est, non quaeritis?“* Joann. 5, 44.

§. 160.

Objectum fidei christianae.

1. Objectum fidei christianae constituit, quidquid DEUS in positiva salutis oeconomia revelare dignatus est. Nec refert, utrum divina eloquia ex Ss. literis, an vero ex traditione constent. Dummodo sciamus, illa divinitus revelata esse, eadem semper credendi ratio intercedit, nempe infinita DEI revelantis auctoritas. Absit ergo, ut inter doctrinae revelatae capita selectum instituamus, ac si aliqua tantum credenda sint, reliqua vero absque dispendio repudiari possint. Talis agendi ratio profecto ipsi sanae philosophiae adversatur, quippe quae severe expetit, ut, ubi idem debendi titulus obtinet, idem quoque officium persolvamus. Quem insuper latere potest, in quantam DEI injuriam tale revelationis discidium vergat, dum scilicet homo misellus sapientissima DEI consilia ad suum tribunal vocare, et quidquid ipsi haud arridet, imperioso supercilio respuere pertentat? Quis medicus non indignaretur,

si homo febricitans et rerum ignarus pro suo tantum arbitratu determinare vellet, quaenam ex praescriptis adhibenda sint, et quae sibi negligere liceat? Quare divinus Redemtor diserte jussit: „*Euntes docete omnes gentes, docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis.*“ Matth. 28, 19. etc. Pari modo Apostoli omnem circa dogmata fidei errorem peste magis ac angue fugiendum esse censuerunt; imo juxta II. Pet. 3, 16. etiam ea, quae sunt intellectu difficilia, ita depravari possunt, ut in hominum perditionem cedant.

Hinc plurimum abhorremus a distinctione illa Protestantibus usitata, qua quosdam fidei articulos *fundamentales*, seu omnibus adoptandos, alios vero *non fundamentales*, seu tales dicunt, quos impune in dubium vocare et respuere liceat. Ut rationes paulo ante allatas praetermittam, haec dogmatum distinctio apertam religionis perniciem involvit; dum enim ex principio Acatholicorum tota revelationis interpretatio ex privato uniuscujusque judicio dependet, quis illorum *decretorie* articulos fundamentales definiet? Revera ex multo tempore de hac re summa inter illos contentio fervet, et plerique eo demum devenerunt, ut praeter paucissimas doctrinas ex lumine rationis cognitas omnes reliquas et ipsam adeo JESU Christi divinitatem eliminaverint.

2. Ab hac Protestantium doctrina plurimum differt distinctio a nostris recepta, qua dogmata *principalia* a *minus principalibus* secernunt. Nam etiamsi omnes doctrinae divinitus patefactae verissimae sint, non tamen omnes scitu aeque necessarias arbitramur. Unde omnes fidei articulos equidem *credere* oportet, ita tamen ut non ab unoquoque *distincta et perspicua singulorum dogmatum notitia* requiratur; id enim imbecillitas humani ingenii haud admittit, praesertim quoad homines plebejos et minus cultos. Hunc in finem duas fidei species discernimus, nempe

a) fidem *explicitam*, qua aliquam veritatem in propria et definita ejusdem notione profitemur; et *b)* *implicitam*, dum dogma aliquod adoptamus non disertis verbis propositum, sed tamquam in veritate vel propositione aliqua generali contentum, e. g. credo, quidquid Ecclesia dogmatice definivit.

3. Absque dubio ad hominis christiani officia spectat, ut pro facultate sua oblataque occasione doctrinam religionis apprime edoceri, atque illa, quae implicite profitetur, etiam explicite addiscere studeat. Et quidem quo majus unicuique doctrinae momentum subest, eo majori quoque studio in ejusdem notitiam incumbere jubemur. Quapropter theologi nostri etiam dogmatum scitu necessariorum duas iterum classes designant; quaedam illorum *absolute necessaria*, vel necessaria *necessitate medii* dicunt, e. g. existentiam DEI, futuram retributionem etc.; alia vero *hypothetice*, seu necessaria *necessitate praecepti* vocant, ita ut unusquisque, cui facultas et occasio suppetit, in illa prae reliquis inquirere teneatur. Plura de his Dogmatica edisserit.

Hinc trita illa adversariorum accusatio evanescit, qua dicunt, per hanc de fide implicita doctrinam indignum animi torporem et religionis addiscendae neglectum foveri.

§. 161.

Titulus et gravitas hujus officii.

1. Titulus principalis, et per quem fides ad virtutem vere theologicam evehitur, est infinita DEI revelantis auctoritas, seu veracitas DEI, quippe cum DEUS, qui est sapientia et veritas ipsa, falli aut fallere absolute nequeat. Quare, etiamsi veritates revelatae captum nostrum excedant, cognita tamen DEI revelantis auctoritate pondere infinito ad assensum premimur. Quis non cohorrescit, dum

hominem cogitat, qui ex turgida superbia, vel ex quacunque mentis perversitate DEO revelanti fidem detrectat, ipsumque quasi de mendacio suspectum habet? Hinc quoque theologi inferunt, quantum ad officium fidei *nullam dari parvitatem materiae*, sed omnem praevaricationem oppido gravem esse.

Aliud absque dubio in *consideratione subjectiva* obtinet, ubi quaeritur, utrum aliquis *culpam lethalem* contraxerit, necne; fieri enim potest, ut homines in religione parum instructi *motiva credibilitatis* ignorent; tales utique non de revelantis auctoritate, sed de ipsius revelationis existentia dubitant. Et hi quidem, ut infra dicemus, si in veritatem sincere inquirunt, et justo ejusdem studio ducuntur, a tanto reatu certe immunes sunt. Pari modo hinc inde evenit, ut quis fidei divinae quam maxime addictus in magno tamen tentationis aestu, vel ex inculpabili sui oblivione nonnihil haesitet, ita tamen, ut redeunte animo mox iterum divinae auctoritati adstipuletur. Omnium minime piae illae mentes, quod sibi timeant, habent, quae DEO sic permittente non raro gravissimis circa fidem tentationibus impetuntur, quibus reprimendis, utcunque reluctentur, se tamen impares sentiunt.

2. Ad titulum modo exhibitum adhuc alius accedit, qui etiamsi finitus sit, maximopere tamen urget, ut veram salutis oeconomiam promte et cum singulari gratitudinis affectu complectamur. Hunc titulum charitas nobismet ipsis debita constituit. Pietas, quam nobismet ipsis debemus, certe nihil prius vel majus reperit, quam ut verae Christi Ecclesiae, in qua una salus obtineri potest, feliciter aggregemur. Quantam igitur in semet ipsos saevitiem exercent, qui veram religionem *culpabiliter* nescire pergunt, vel omnino ignorantia crassa vel affectata detinentur! „*Verumtamen Tyro et Sidoni remissius erit in judicio, quam vobis etc.*“ Luc. 10, 12. et seq.

§. 162.

Qua ratione fidem nostram solide fundatam esse oporteat.

1. Fidem nostram *rationabilem* esse oportet, non quidem in eo sensu, ac si doctrinam revelatam *rationi accommodare* et ad ejusdem normam exigere liceat; sed ita ut in religionis doctrina solide instituti, et de ipsius veritate firmiter persuasi *semper parati* simus ad *„satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, quae in nobis est, spe.“* I. Pet. 3, 15. Prout enim vana hominum commenta sectari christianum maxime dedecet; ita ex opposito, qui doctrinam ex omnibus gravissimam obiter tantum didicerunt, rationi suae graviter desunt, et simul summo de religione naufragandi periculo exponuntur. Atque periculum istud praecipue nostra aetate ingravescit, ubi veram doctrinam a tot, tantisque viris cum fallaci eruditionis apparatu lacessitam novimus. Et quamvis argumenta, ad quae religionis adversarii provocant, levia sint, facile tamen evenit, ut qui solida institutione caruerunt, comto et qualis plerumque est, arroganti illorum sermone capiantur.

2. Ad hanc fidei soliditatem inprimis requiritur, ut de veritatibus revelatis justos nobis conceptus efformemus, seu ut sciamus, quid DEUS revelaverit. Equidem fides, cum sit *„sperandarum substantia rerum, et argumentum non apparentium,“* Hebr. 11, 1., necessario aliquid obscuritatis sibi annexum habet, et ipsa indoles divinae oeconomiae prae se fert, ut in illa mysteria occurrant; agitur enim de reconciliatione ac restitutione humani generis, quod benignissimum DEI consilium omnem intellectum non nostrum tantum, sed etiam Angelorum infinities transcendit. *„Sicut scriptum est: quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit DEUS iis, qui diligunt illum. Nobis autem revelavit*

DEUS per Spiritum suum.“ I. Cor. 2, 9. etc. Attamen saltem nobis enitendum est, ut cum terminis, quibus divina dogmata enuntiantur, verum ac genuinum sensum conjungamus, atque ne conceptus nostri a veritate desciscant.

3. Insuper ad solidam institutionem spectat, ut per *argumenta credibilitatis* de revelatione divina plene convicti simus, atque ut singulas veritates ex divina auctoritate repetamus. Verum ut de existentia divinae revelationis taceam, qua methodo irrefragabiliter evinci potest, veritates singulas, quas profitemur, in illa contentas esse? Numquid *singuli quique* ad primos fontes recurrere, atque ex illis tum universa dogmata tum genuinum eorundem sensum haurire debebunt? Sed quem latet, tale religionis studium plerisque fidelium prorsus impossibile esse, utpote quibus ad tantum negotium, quod totam fere hominis vitam sibi vindicat, dotes ac facultates desunt? Et quotusquisque insuper est, qui nullis omnino praejudiciis, vel perversis affectibus detineatur? Quam pronum igitur, ut plerique divinis literis sensum suum privatum intrudant, utque hac methodo, quot capita, tot sententiae resultent! Et qua ratione in tanta sensuum diversitate *unus Dominus, una fides*, et *unum baptisma* subsistet? Eph. 4, 3. Quid denique, si verbum DEI scriptum non plenum et integrum religionis codicem constituat? Vel numquid hoc indagandae explanandaeque revelationis negotium *solis eruditis* relinquamus, caeco modo ab eorundem ore pendentes? Ast quis nescit, quantus inter ipsos eruditos dissensus detur, et quamvis omnes ad eosdem codices provocant, quam arroganter alius alii contradicat? Hinc aliud non restaret, quam ut vel obvio doctori clausis quodammodo oculis adstipulemur, vel ut simus parvuli fluctuantes, et „*circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.*“ Eph. 4, 14.

Sed quidquid egerimus, quam deploranda sors nostra foret, si in *re summa* ad nullam certitudinem eluctari possemus! Imo etiamsi maxima doctorum pars conspiraret, illorum tamen auctoritas nonnisi *humana* foret; homines sunt, et proinde errare possunt. Vel num denique supponi potest, fore, ut, quisquis S. Scripturam legit, per speciale praesidium Spiritus divini ab omni errore immunis servetur? Sed ubinam talem assistentiam singulis quibusque promissam legimus? Et quantopere huic suppositioni experientia repugnat, dum inter eos, qui spiritui privato innixi sacras literas lectitant, tantam sensuum discrepantiam et tam acerba dissidia conspicimus!

§. 163.

Continuatio.

1. Quam vehementer igitur optandum est, ut per auctoritatem aliquam a DEO ipso sancitam et dono inerrantiae praeditam vera religio semper incorrupta servetur! Sane nonnisi hac ratione fides nostra prorsus certa et divina redditur. Quidquid aliud finxeris, non sufficit. Et ecce, hoc inerrantiae donum verae Christi Ecclesiae divinitus concessum esse, Ss. paginae apertis verbis pronuntiant. Divinus Redemtor noster e mundo discessurus Ecclesiae suae non tantum perpetuam assistentiam Spiritus sancti promisit, sed etiam de semet ipso professus est: „*Et ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.*“ Matth. 28, 20. Et jam antea principi Apostolorum dixerat: „*Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.*“ Matth. 16, 18. Quare, prout Dogmatica nostra invicte ostendit, Ecclesia per Christum fundata revera dono infallibilitatis gaudet, et prout DEUS ipse mentiri non potest, ita quoque

fieri nequit, ut Ecclesia in definiendis, asserendisque revelationis dogmatibus unquam alucinetur. Ex quibus facile perspicitur, qualiter nos fidei nostrae rationem reddere oporteat; scilicet proxime religionis nostrae dogmata amplectimur, quia Ecclesia illa qua talia proponit; atque Ecclesiae ipsi adstipulamur, quia illam ex certissimis argumentis auctoritate prorsus infallibili munitam novimus. Dum ergo Ecclesiae credimus, revera DEO ipsi innitimur, utpote qui tanta illam auctoritate instruxit; atque sic fides nostra non tantum certissima evadit, sed *fides vere divina* dici meretur.

Annon etiam pars longe maxima Protestantium nonnisi aliorum auctoritate nititur? Sed quantum discrimen nos inter et illos! Nos tali auctoritati fidem astruimus, quam a DEO ipso sancitam et infallibilem agnoscimus; illi vero auctoritate nonnisi humana suffulciuntur, parentum nempe et magistrorum suorum, quos tamen errori obnoxios esse fatentur, et quibus proinde tuto acquiescere nequeunt; praesertim cum ipsis ignotum non sit, tot alios aeque doctos, vel etiam doctiores contrarium asserere.

Etiamsi praesens causa magis ad Dogmaticam spectet, non tamen pigebit paucis indigitare, qua ratione momenta credibilitatis mutuo sese excipiant. Itaque inprimis libros novi Testam. et praesertim Ss. Evangelia tamquam meras relationes historicas attendo, et facile convincor, ea, quae ibidem narrantur, non tantum fide dignissima, sed talia esse, ut conficta esse ne possint quidem. Quodsi vero hi libri indubitatam fidem merentur, ex iis, quae JESUS Christus fecit et docuit, abunde patet, ipsum revera Filium DEI, DEUM simul et hominem fuisse. Unde quidquid ipse docuit, certissimum est, et quidquid promisit, infallibiliter fiet. Inter ceteras illius promissiones praecipue haec me commovet, qua nulla addita conditione spopondit, se Ecclesiae suae semper affuturum, illamque nullis portarum infernalium assultibus concutiendam esse. Verum ubinam invenitur Ecclesia tantis

praerogativis insignita? Cum vera Christi Ecclesia nunquam deficere possit, absque dubio illa erit, quae inde a Christi tempore semper viguit, et in qua non interrupta series pastorum datur, qui tum Petro tum reliquis Apostolis successerunt. Ast hanc certissimam veritatis notam nullibi praeterquam in sola Ecclesia catholica reperimus; etenim, ut de defectu unitatis sanctitatisque taceam, de omnibus reliquis sectis ex historia constat, quo tempore et auctore prognatae, et qualiter tamquam rami immorigeri a communi stipite abscissae fuerint. Quare cum plena animi persuasione Ecclesiam catholicam amplector, atque tum in asserenda librorum canonicorum inspiratione tum in exponendo eorundem sensu ipsius auctoritati securus acquiesco; pari modo illa dogmata absque omni haesitatione sequor, quae Ecclesia ex altero revelationis fonte, ex divina traditione profert.

2. Neque dici potest, hoc modo studium religionis retardari, vel turpem desidiam induci; nam vera Christi Ecclesia nequaquam prohibet, sed urget potius, ut illi, quibus ingenium et facultas suppetit, singula religionis dogmata ex suis fontibus conquirant; simul vero id nobis emolumenti praestat, ut, dum ipsius ductum sequimur, optatus veritatis portus etiam in summa rerum humanarum fluctuatione nos nunquam latere possit.

Quodsi Protestantes causantur, per hanc Ecclesiae auctoritatem omnem sentiendi cogitandique libertatem tolli; utique ipsam quoque revelationem respuere debebunt, quia etiam per hanc nostra quidlibet sentiendi libertas valde limitatur. Insuper Ecclesia studia nostra neutiquam reprobat, sed tantum cavet, ne alucinemur; quare non *libertatem cogitandi*, sed *periculum errandi* arcet, et exinde genuino animorum cultui certe non obstat, sed potius egregie consulit, id quod etiam per historiam literariam confirmatur. Generatim in *historicis* vesanum est libertatem quidlibet cogitandi astruere.

§. 164.

Fides nostra sit viva et efficax.

1. Absit, ut sterilem ac inertem assensum intellectus nostri ad salutem sufficientem esse dicamus. Etenim fine nostro ultimo nonnisi per charitatem potiri possumus, et exinde divina quoque revelatio enixe postulat, ut fides nostra per charitatem operetur. Gal. 5, 6. „*Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse intrabit in regnum coelorum.*“ Matth. 7, 21. etc. „*Non enim auditores legis justi sunt apud DEUM, sed factores legis justificabuntur.*“ Rom. 2, 13. „*Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est.*“ Jac. 2, 14. et seq.

2. Cum ergo haec veritas tum ex ratione tum ex divinis paginis tam evidenter constet, quis non indignetur, fuisse et adhucdum esse haereticos, qui ex detortis quibusdam novi Test. sententiis inferunt et mordaciter propugnant, ad consequendam aeternam salutem aliud non requiri praeter solam fidem in Christum? E contrario vera Christi Ecclesia semper tenuit, necessarium esse, ut fides nostra per charitatem operetur, atque ut per bona opera vocationem et electionem nostram certam faciamus, II. Pet. 1, 10., simul vero nostra bona opera *non ex nobis*, sed ex *meritis Christi* ad justificationem sufficere, cui per fidem vivam tamquam membra capiti suo cohaeremus.

Omnem pene captum superat, quod Lutherus ad Melancht. scribit: „*Pecca fortiter, et fortius fide et gaude in Christo, qui victor est peccati, mortis et mundi, peccandum est, quamdiu hic sumus. Sufficit, quod agnovimus per*

divitias gloriae DEI agnum, qui tollit peccata mundi; ab hoc non avellet nos peccatum, etiamsi millies millies uno die fornicemur, aut occidamus.“ Tom. I. Jen. lat. edit. coelest. fol. 34. 5. Cf. Trid. Sess. 6. can. 1.

§. 165.

Professio fidei.

1. Praeter firmum constantemque animi assensum, quem DEO revelanti debemus, insuper ad nostra officia pertinet, ut fidem nostram etiam intrepide fateamur. Distinguunt vero in hoc gravissimo negotio officium *negans* ab *ajenti*. Et quidem officium negans absolute vetat ne religionem veram quo demumcunque modo inficiemur, neve religionem falsam unquam simulemus. Etiamsi enim id ficte tantum agatur, DEO tamen summam injuriam infert, qui de religione sua coram aliis erubescit. Atque hoc officium, semper et pro semper obligat, ita ut, quaecunque temporum acerbitas detur, fidem veram negare semper sit sacrilegum. Hinc etiam Christus sine omni exceptione pronuntiat: *„Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua et Patris, et Angelorum.“* Luc. 9, 26. Et: *„Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo.“* Matth. 10, 33. Unde innumera plane et pulcherrima sanctorum martyrum exempla prostant, qua ratione homines omnis sexus et aetatis extrema supplicia subire maluerint, quam fidem suam vel ad speciem inficiari.

2. E contrario officium ajens expetit, ut fidem nostram quandoque positive ac directe coram aliis profiteamur. Hoc igitur officio nonnisi tum obstringimur, ubi rerum temporumque adjuncta talem professionem urgent. Hujusmodi rationes potissimum sunt: *a)* Dum quis per legitimam auctoritatem de religione sua interpellatur; *b)* quoties ex

omissa illius professione in religionem ipsam aliquod dedecus vel periculum redundat; *c)* denique quoties talis professio ad alios in fide confirmandos necessaria videtur, praesertim ubi ex ejusdem omissione grave scandalum imminet.

Unde non parum refert, quo munere vel officio defungaris. Dum e. g. in aliquo consessu religio irridetur vel impetitur, scandalum multo majus erit, si praesens forte sacerdos ad haec dicteria obmutescit, quam si aliquis laicus contradicere reformidat *).

3. Ubi vero nulla solida ratio hanc religionis professionem jubet, ad illam haud tenemur; imo fieri potest, ut prorsus dissuaderi debeat, dum nempe in talibus versamur circumstantiis, ut mala, quae inde praevidentur, exspectatum religionis aliorumve commodum superent. In his ergo rerum adjunctis non tantum licet, sed saepe etiam decet religionem suam *dissimulare*, ita ut alii nos catholicos esse nesciant, dummodo religio aliena non *simuletur*. Multum enim haec duo inter se differunt. Qui religionem suam dissimulat, illa tantum signa omittit, ex quibus deprehendi queat, quibus sacris sit addictus; contra dum fides aliena simulatur, notae illius characteristicae usurpantur; talis igitur praeter culpam mendacii semper gravissimum reatum negatae religionis incurrit.

4. Quodsi ob rectae fidei professionem persecutio ingruit, ratio per revelationem illustrata has potissimum regulas designat:

a) Generatim non tantum licet, sed oportet etiam, ut imminenti persecutioni fugiendo nos subducamus. Qui

*) Quibus vi legis ecclesiasticae professio fidei incumbat, vid. Trid. Sess. 24. cap. 12. et Sess. 25. cap. 2. Item Constitut. PP. Pii IV. et Pii V.

enim patriam, amicos et bona sua deserit, ut fidem suam intemeratam servet, eam exinde adeo non denegat, ut illam potius profiteatur. Et nonne ad nostra officia pertinet, ut vitam nostram tamdiu servare studeamus, donec DEUS ipse vel per naturam vel per certum aliquod officium de stadio nostro nos avocet? Quam ob rem Redemtor noster, antequam terminus a Patre suo definitus advenerat, tum semet ipsum inimicorum insidiis subduxit, tum etiam Apostolis demandavit: „*Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.*“ Matth. 10, 23. Multo minus Evangelio et sanae rationi convenit, ut quis ultro et a nemine provocatus persecutoribus se obtrudat. Talis non tantum vitae sibi ademtae voluntarius auctor existit, sed etiam fidei hostibus novam peccandi materiam praebet.

b) Attamen ob singulares circumstantias interdum evenire potest, tum ut fuga illicita reddatur, tum etiam ut haec ultronea sui oblatio ad alios in fide confirmandos apprime faciat. Praeterea illos, de quibus historia tale quid refert, potius ex subjectiva eorum persuasione, quam ex ipsa actionis indole dijudicare fas est.

c) Ubi vero vis nobis intentata vel physice vel moraliter declinari nequit, tum alacri invictoque animo quascunque tormentorum acerbitates et ipsam adeo mortem subire tenemur. Imo divina revelatio exantlatas pro religione persecutiones tamquam materiam exultandi proponit: „*Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum. Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis.*“ Matth. 5, 10. „*Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo.*“ Matth. 10, 32.

§. 166.

Studium religionis dilatandae.

1. Quisquis praesentem hominis conditionem atque absolutam religionis christianae necessitatem perspectam tenet, profecto nihil magis in votis habere potest, quam ut regnum DEI quaqua versus dilatetur. Quot ut eveniat, non tantum quotidie orare, Matth. 6, 10., sed etiam pro viribus conferre jubemur. Si enim DEUM vere diligimus, quid nobis prius esse potest, quam ut ipse, et quem misit, JESUS Christus ab omnibus cognoscatur adoreturque, et ut benignissima ipsius consilia in provehenda hominum salute per neminem frustrentur? Idem officium ex charitate fraterna resultat, cujus indoles est, ut alios destinationis suae consortes reddamus. Cum igitur ad destinationem nostram feliciter consequendam religio vera prorsus necessaria sit, quis non videt, hujus dilatationem inter omnia charitatis obsequia locum facile primum obtinere?

Praecipue tamen hoc religionis dilatandae officium nobis sacerdotibus incumbit. Et revera historia ecclesiastica pulcherrimis praedecessorum nostrorum exemplis fulget, quorum contemplatione non tantum intellectus noster facilius quam omni theoria dirigi, sed etiam voluntas ad sequenda illorum vestigia succendi solet. Utique hoc tantum negotium plurimas difficultates sibi annexas habet; a rebus non paucis, quae naturae lenocinantur, abstinere cogimur, et quod pessimum, conatus nostri saepe optato eventu destituuntur. Ast DEUS *curam* tantum, non ipsam *curationem* a nobis expetit, et quo majori labore ministerium nostrum constiterit, eo gloriosior erit corona nostra. „*Nescitis, quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.*“ I. Cor. 9, 24. etc. Denique si molestiae sacri muneris mentem nostram interdum

frangere minitantur, cogitemus, per quae discrimina rerum illis tendendum sit, qui vel in castris vel in foro saluti publicae invigilant, vel etiam quibus privatos inter parietes cura familiae injungitur.

2. Verum dum religionis zelum commendamus, utique non caecum, furentemve animi impetum, sed studium prudens et ex fraterno amore profectum intelligimus. Scilicet genuinus religionis dilitandae zelus aliud non est, quam fervens erga DEUM et proximum charitas, qua allaboramus, ut alii viva religionis christianae membra efficiantur. Quare, ut zelus noster revera *charitas* dici possit, requiritur:

a) Inprimis ut ex *firma, solidaque animi persuasione* descendat, religionem, quam dilatare studemus, veram et divinam esse. Qui enim absque solida persuasione nonnisi praejudiciis, affectu vel omnino caeco animi furore ducitur, talem non veritatis evangelistam, sed potius propagatorem fanatismi nuncupare fas est. Ex pari ratione zelus genuinus non vana hominum commenta, non placita philosophici cujusdam systematis, non demum quaestiones mere scholasticas divulgare nititur, sed illud, quod est unum necessarium, scilicet „*charitatem de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta.*“ Tim. 1, 5. Quare non tantum alios *veritatem edocere*, sed studio non minori eosdem etiam *veritati subjicere* conabimur.

b) Tum vero requiritur, ut zelus noster aliud haud intendat, nisi honorem DEI et salutem fratrum nostrorum. Absit ergo omnis affectus perversitas, qua vel nobismet ipsis celebre nomen aut emolumentum aliquod temporale, vel partibus nostris nonnisi vanum aliquem splendorum consciscere cogitemus. Et quidem, ut Oberrauch advertit, „*quantae deceptiones etiam*

pias mentes in ejusmodi causa non raro involvant, nemo facile credet; alias certe Apostolus non potuisset lamentari, quod Philippensium salutem nemo praeter Timotheum sincere curet, addens: Omnes enim, quae sua sunt, quaerunt, non quae JESU Christi." Philipp. 2, 21. „*Cogita, qua Ecclesiae aetate, et de quantis Ecclesiae operariis haec scribat Paulus! O quantum in his non raro studia nostra falluntur, dum toties pro DEO laborare nobis videmur, et tamen re ipsa nonnisi studio propriae affectionis agimur!*" Tom. II. pag. 184. et seq.

c) Denique justa erga DEUM et proximum charitas prohibet, ne ad religionem dilatandam alia adhibeantur media, quam quae rationi per revelationem illustratae conveniunt. Caveatur igitur non tantum, quidquid veritati et bonis moribus repugnat, e. g. fallaciae et fraudes, quas pias dicunt etc.; sed etiam quidquid ad mentem de veritate persuadendam non facit, e. g. vis externa, minae, pollicitationesve etc. Unde cum divinus Redemtor suos in omnem terram ire jussit, enixe illis commendavit, ut *docerent* omnes gentes, „*docentes eos servare omnia, quae mandavi vobis.*" Matth. 28, 19. Et S. Paulus testatur: „*Cum venissem ad vos, fratres! veni non in sublimitate sermonis aut sapientiae, et sermo meus et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostentatione spiritus et virtutis.*" I. Cor. 2, 1. etc.

3. Ex perspectis hisce conditionibus patet, quale religionis dilatandae studium perversum ac spurium dici mereatur, quidque censendum sit de illo zelo, quo homines fanatici et haeresiarchae opiniones et commenta sua divulgare studuerunt.

Nostra aetate Protestantes saltem *nobis Catholicis* omnem veritatis ampliandae conatum vehementer succensent, dum tantopere de *aucupio proselytorum* clamitant, quoties aliquis eorum ad sinum Ecclesiae revertitur. Verum cum de *necessitate religionis* nostrae intime convicti simus, utique non accusationem, sed potius laudem meremur, si in re tanta strenui sumus. Zelus noster tum demum in vitium degeneraret, si regnum divinum vel ex sinistra intentione vel perversis mediis provecturi essemus. „*Non enim possumus, quae vidimus et audivimus, non loqui.*" Act. 4, 20.

Caput II.

De peccatis fidei oppositis.

§. 167.

De atheismo et pantheismo.

1. Inter peccata officio fidei opposita atheismus prominet, utpote qui non tantum positivam revelationem, sed religionem prorsus omnem evertit, eamque radicitus extirpare nititur. Huic insaniae portento pantheismus per omnia concordat, ex cujus opinione DEUS a rerum universitate haud differt. Quod jam atheismum attinet, fieri quidem potest, ut quis erroneum Divinitatis conceptum sibi efformet, tumque serio sibi persuasus videatur, *talem DEUM* non dari. Attamen esse ens aliquod supremum et absolutum mens rationabilis tam irrefragabiliter percipit, ut contrarium sentire ne possit quidem. Unde jam §. 156. notatum fuit, atheismum sibimet opponi, quippe qui omnem veritatem inficiatur.

2. Verum multo plures *atheistae practici* occurrunt, homines nempe, qui nonnisi sensibus ancillantes et omni spurcitia repleti ita demum obbrutescunt, ut pars rationalis vix non ex integro suffocetur. Unde quoque in Psalmis dicitur: „*Dixit insipiens in corde suo, non est DEUS.*"

En, divina scriptura atheismum expresse *stultitiam* vocat, eamque non ab ingenio, sed ex depravato *corde* repetit. Tum vero Psalmista pergit: „*Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis; non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.*“ Ps. 13. Apostolus vero ait: „*Animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus DEI; stultitia enim est illi, et non potest intelligere.*“ I. Cor. 2, 14. Et profecto quid illos adhuc in officio continere poterit, in quibus una cum DEO omnis quoque conscientia et religio disparuit? Quare responsio est facilis, dum quaerunt, undenam publicae saluti plus detrimenti immineat, utrum ex crassa superstitione, an ab atheismo. Etenim quamvis superstitio horrenda non raro scelerum monstra parturiat, is tamen, qui superstitione fascinatur, saltem Superos timet; et exinde tum quoque a nefariis ausibus sibi temperat, ubi vindictam legum humanarum eludere posset. Quid vero hominem atheum a scelere cohibere potest, dum occasio se offert illud clam vel impune patrandi? Et quae demum orbis terrarum facies foret, si atheismus in opinionem universalem transiret? *).

3. Haud melioris notae pantheismus videtur, qui, dum rerum universitatem DEUM nuncupat, hoc ipso DEUM verum inficiatur. Vah! qualis Divinitas, quae in tot partibus misera et nullibi perfecta invenitur!

Hujus probrosae assertionis plures ex philosophis recentioribus accusantur, qui systema Spinozae ceu summum sapientiae veritatisque culmen extulerunt. Complures equidem tantam accusationem a se amoliri conantur; ast vere Aethiopem lavant. Vid. J. H. Pabst: Der Mensch und seine Geschichte. Wien 1830.

*) Vid. Was restaurirt Europa? München 1827. S. 165.

§. 168.

Naturalismus.

1. Vitium, quod nostra aetate, praesertim inter Protestantes nimium quantum percrebrescit, est naturalismus, quem etiam rationalismum dicunt, quique in eo consistit, ut repudiata omni positiva revelatione religio nonnisi naturalis admittatur.

Qua ratione *deistae*, *naturalistae*, *rationalistae biblici*, et quae sunt reliquae hujus agminis cohortes, ab invicem differant, et generatim uberiorem praesentis causae expositionem ad Dogmaticam remittimus. Unde pauca tantum allegamus, quae adversarios revelationis universim concernunt.

2. Itaque tum ex praesenti humani generis conditione tum ex historia omnium temporum abunde constat, quam misere ii omnes decipiantur, qui hominem ad consequendam salutam sibimet sufficere autumant. Cumque revelatio, quam profitemur, invictis plane veritatis credibilitatisque notis resplendeat, quid sanae rationi magis convenit, quam ut eandem promto gratoque animo amplectamur? Unde qui in causa omnium gravissima veritatem aspernantur, et firmissimis argumentis assensum denegant, religionem suam frustra *rationalem* dicunt, utpote quae aperte *irrationalis* esse convincitur.

3. Revera etiam experientia testatur, hunc omnis revelationis contemtum non ab ingenio, sed ex depravato corde natales suos repetere. Saltem ex numero eruditorum certe nullum invenies, qui sincero veritatis studio teneatur; sed omnes vel intolerandam arrogantiam vel praepotentem pruritum sensualitatis et supinum salutis neglectum produnt. Vel etiamsi ad speciem benigni, misericordes atque humani appareant, plerumque tamen has illorum virtutes absque nota temeritatis in dubium vocare licet. „*Cum*

enim nos tot mysteriis christianae religionis, quae coelestia auxilia propria virtute efficiunt, muniti et tanto lumine fidei illustrati nonnisi magna contentione officia juris naturalis explemus; quid facient homines sola vacillantis rationis luce ducti, et omnibus prope gratiae virtutibus destituti?" Oberrauch.

Praecipuam doloris materiam praebent, qui, ut olim callidus serpens ex arbore, ita e publica cathedra religionem positivam vel rident, vel dolose subvertunt. „*Vae vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiae! Ipsi non introistis, et eos, qui introibant, prohibuistis.*" Luc. 11, 52. *).

§. 169.

De indifferentismo.

1. Non minus nostro tempore indifferentismus seu vesana opinio invaluit, omnes religiones vel tamen omnes christiani nominis partes aequali modo conferre, ut ultimum finem nostrum feliciter assequamur. Atque ex hoc principio superfluum esse ducunt quaerere, utrum religio, quam tenes, vera, an falsa sit; dummodo mores religioni tuae conformaveris, illa, quaecunque demum sit, ad expotatum portum te provehet. Et haec quidem ad speciem admodum humana et benigna videntur; attamen re magis perpensa sub hisce tegumentis summa erga DEUM impietas, nec minor erga genus nostrum saevities latet. Cum enim DEUS tam stupendo charitatis consilio ad restituendum genus humanum novam eamque vere divinam oeconomiam condidit; quae major impietas designari potest, quam dum asseritur, hanc eandem DEI dispositionem non esse necessariam, sed per obvia hominum commenta suppleri posse, atque veritati et mendacio eandem vim constare

*) Cf. Was restaurirt Europa? S. 201 folg.

hominem salvandi? Verum non minor impietas in totum humanum genus committitur. Qui cunctis religionibus eandem efficaciam atque dignitatem tribuit, hoc ipso omnem veritatis indagationem superfluam esse declarat, nobisque persuadere nititur, unumquemque absque omni salutis dispendio obviae superstitioni inhaerere posse. Quid, si in urbe aliqua dira lues grassaretur, et jam insignis aliquis medicus ex pia commiseratione de longe adventans remedia unice sufficientia afferret, quid, inquam, de illo censendum foret, qui haec remedia extenuare, et obviis ineptissimisque medicamentis eandem vim astruere tentaret? Quis talem non ceu insipientem fabulatorem, imo ceu perniciosissimum publicae salutis inimicum exploderet?

2. Quare ipsa sana ratio dictat: dum ex certissima relatione constat, genus humanum de prima sua conditione dejectum, ad ejusdem vero restaurationem singulari DEI beneficio novam salutis oeconomiam sancitam fuisse; res neutiquam est indifferens, utrum hujus oeconomiae consortes simus, nec ne; sed potius ad prima nostra officia spectat, ut omni modo eidem aggregari conemur. Porro, si etiam reliquae religiones ad salutem sufficiunt, ut quid Christus redemtionem nostram tam laboriose perfecit, atque ut sua religio perennaret, Ecclesiae perpetuam Spiritus sancti assistentiam promisit? Ut quid Apostolis praecepit, ut relictis omnibus in mundum universum irent, ac inter tanta rerum discrimina *omnes omnia* docerent, quae ipse mandaverat? Ut quid demum Apostoli ipsi pro dilatanda Christi fide tantos labores, tanta pericula et acerbissimam tandem mortem subierunt? Ad quid tanta perditio, si religio christiana necessaria non est?

3. Eaedam difficultates illam indifferentismi speciem premunt, qua omnes christiani nominis partes ejusdem valoris esse perhibentur. Prout veritas ipsa, ita etiam vera

Christi Ecclesia nonnisi *una* esse potest. Quisquis ergo de hac una Ecclesia non participat, verae oeconomiae, quam Christus instituit, expers vivit. Et certe, cum apud Galatas aliqui errores irrepserint, Apostolus summa tenebatur sollicitudine, ne forte frustra in illis laboraverit, imo asseverabat: *„Licet nos, aut Angelus de coelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut praediximus, et nunc iterum dico: si quis vobis evangelizaverit praeter id, quod accepistis, anathema sit.“* Gal. 1, 8. Quantum sensus Ss. Patrum et non interrupta praxis Ecclesiae religiosum indifferentismum abhorreat, e sacra historia abunde patet *).

§. 170.

De haeresi.

1. Haeresin formalem communiter describunt, esse errorem contra fidem voluntarium et pertinacem in homine christiano. Quapropter ethnicos, Judaeos, Muhammedanos et generatim eos, qui totam Christi religionem vel ignorant vel aspernantur, non *haereticos*, sed *infideles* appellamus.

2. Insuper ad haeresin error *contra fidem* requiritur. Cumque in exponenda doctrina Christi sola Ecclesia dono infallibilitatis gaudeat, illa tantum stricti nominis dogmata constituunt, quae per Ecclesiam *ceu talia* designantur; sive *solemniter* id fiat, e. g. in synodo generali, sive *ta-*

*) Indifferentismum inter modernos Protestantes pervulgatum esse, publice constat. Ast mirari nobis liceat, *a)* cur nihilominus tam acerbe indignentur, quoties aliquis illorum ad sinum Ecclesiae catholicae revertitur, et *b)* qua fronte Lutherum suum tantis laudibus efferre possint, qui tamen sententiam, *fidem solam et seclusis bonis operibus* justificare, religionis suae fundamentum esse voluit.

cite, dum dogma aliquod ab universa Ecclesia tamquam divinitus revelatum suspicitur. Unde qui doctrinam aliquam inficiatur, quae per Ecclesiam nulla adhuc ratione definita fuit, talis equidem errare, et insignem fors temeritatem incurrere potest; attamen *haereticus* haberi nequit; atque exinde illos ex Ss. Patribus ab haeresi immunes dicimus, quorum opiniones erroneae tunc temporis ab Ecclesia nondum proscriptae fuerant.

3. Denique ad haeresin spectat, ut error *voluntarius* sit et *pertinax.* Et quidem *voluntarie* errat, qui officio suo, quo veritatem quaerere, cognitamve acceptare tenetur, culpabiliter deest. *Pertinacia* vero animum in errore offirmatum enuntiat, ita ut quis ex perverso quodam affectu veritati obnitatur. E. g. dum quis, etiamsi in *interiori mentis recessu* de veritate sententiae suae fluctuet, vel omnino de contrario persuasus sit, illam tamen propugnare pergit, ne scilicet a praeconcepta opinione quasi cum dedecore vel cum aliquo dispendio fortunae discedere cogatur, vel quia firmum ipsi fixumque est nihil eorum revocare, quae semel protulit. Quapropter haec voluntatis pertinacia plerumque cum *ignorantia affectata* conjungitur, et ex eadem ratione saepe *peccatum inadvertentiae* latet. Nec enim requiritur, ut quis ad veritatem, cui obnititur, *plene attendat;* sed quisquis neglecto veritatis studio et ex perverso animi affectu errori suo inhaerere pergit, absque dubio notam pertinaciae meretur.

Quia tamen ex usitato loquendi modo etiam illi haeretici compellantur, qui absque animi perversitate a doctrina Ecclesiae dissident, haeretici *materiales* a *formalibus* distingui solent. Adeoque tales, qui absque mentis pertinacia errant, materiales quidem, ast neutiquam formales haereticos dicimus.

4. Ex quibus sequentia corollaria inferimus:

a) Qui sine omni sua culpa errant, vel dogmata falsa profitentur, haeretici nonnisi materiales sunt, atque nihil magis exoptamus, quam ut tales veritatem agnoscant, vel tamen ut *fides implicita* ipsis patrocinetur. Cf. S. Aug. ad Glor.

b) Ast quorum error ex ignorantia culpabili vel omnino crassa descendit, etiamsi pertinaces non videantur, pro ratione tamen culpae suae gravissime peccant, et pro hisce nullum ex fide implicita solatium datur. Scriptum est enim: „*Qui non credit, jam judicatus est.*" Joann. 3, 18. Attamen ad nos non pertinet definire, utrum et quousque singulorum error iisdem in culpam imputari debeat, et idcirco charitas christiana praecipit, ut in condemnandis aliter sentientibus ab omni nobis temeritate caveamus.

c) Qui denique veritati *pertinaciter* refragantur, illius peccati reatum incurrunt, quod ex omnibus gravissimum et peccatum in Spiritum sanctum dicitur. Ad hos jure reprehensionem illam applicamus, qua S. Stephanus usus fuit: „*Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus! vos semper Spiritui sancto resistitis; sicut patres vestri, ita et vos.*" Act. 7, 51.

Quis vero determinabit, quantas culpas illi sibi conglomerent, qui vel superbia vel quocunque depravati animi affectu abrepti in Ecclesia seditionem et discessum movent? Profecto, dum illi, qui vel unum de pusillis in Christum credentibus scandalizat, tam dirum *vae* intentatur, quid iis exspectandum erit, qui integras gentes avellunt ab Ecclesia, et quorum errores per saecula sibi succedentia quasi perennant?

§. 171.

Improba aliorum accusatio de haeresi.

1. Quo magis haeresis formalis detestanda venit, eo

magis quoque nos cautos esse oportet, ne cui absque sufficienti ratione maculam tanti criminis inuramus. Et sane, ut de privatis calamitatibus taceam, quis nescit, quanti tumultus ex hac illiberali accusatione in ipsam non raro Ecclesiam redundarint? Equidem dum aliquis ex nostris doctrinas perversas tenet, vel quod pejus, illas etiam divulgat, nos tam parum inertes spectatores esse convenit, quam parum nobis exorto fors incendio torpere licet. Attamen ita procedendum est, ut *a)* sine ira et studio inquiramus, utrum doctrina, quam quis profitetur, revera dogmati ab Ecclesia definito repugnet, nec ne, et *b)* ut illum, qui fors *bono animo* errat, tum *privatim*, tum ubi necessarium videbitur, *coram testibus*, erroris sui commonere, ab eoque reducere studeamus. Denique *c)* ubi haec privata correctio non proficit, vel non profutura praevidetur, nostrum est errantem denuntiare Ecclesiae.

2. E contrario qui vel ad obvium rumorem statim turbas excitat, vel errantem mox ceu haereticum formalem accusat, ex violata charitate certe ingens piaculum contrahit. Quid enim homini ingenuo gravius accidere potest, quam tanta in materia summi momenti calumnia? Et praeter ingentem animi moerorem taliter accusatus plerumque etiam de publica existimatione sua atque de integra sphaera suae activitatis periclitatur. Praesertim illi magnum reatum subeunt, qui in hac aliorum accusatione studio vindictae, occulto aliquo rancore, vel invidia aguntur, atque verba auctoris sibi exosi in sensus alienos detorquent, aut laceras aliquas sententias excerpunt, quae tamen in contextu rectae fidei neutiquam opponuntur. Mitius utique illi dijudicandi sunt, qui ex sola simplicitate, ex rerum divinarum ignorantia, vel ex vaga relatione aliorum doctrinas ubique heterodoxas suspicantur. Tales *aemulationem DEI habent,*

sed non secundum scientiam, Rom. 10, 2. et idcirco non indignationem, sed commiserationem merentur.

3. Ast non minus solliciti simus, ne dicta et scripta nostra in aliorum offensionem cedant. Quem in finem cavendum nobis est, ne in adoptandis temporis nostri principiis studio novitatis potius, quam veritatis agamur; atque haec cautio non tantum sententias modernae philosophiae, sed pari modo etiam petulantem pertractationem historiae et ipsius S. Scripturae concernit. Qui omnibus, quae tanta cum arrogantia proferuntur, improvidam fidem adhibet, mox nihil, quod firmum certumque sit, sibi superesse mirabitur. Praesertim nostra aetate, ubi tot luxuriantia ingenia in castris naturalismi merent, illius meminisse oportet, quod Apostolus ait: „*Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum.*" Col. 2, 8. Et profecto, quis salutis suae haud incurius adeo delirabit, ut derelicta Ecclesia, quae est columna et firmamentum veritatis, vana hominum commenta sectetur, quae etiamsi cum ingenti eruditionis apparatu proferantur, mox tamen iterum evanescunt? Insuper ne quem scandalizemus, etiam *expressiones* ab Ecclesia sancitas vel receptas pie retinere decet. Etiamsi enim ejusmodi termini ad genium Latii hinc inde minus exacti videantur, ex usu tamen Ecclesiae et a multa antiquitate nostram reverentiam exposcunt. Idem quoad pias Ecclesiae consuetudines et sanctiones disciplinares observare convenit. Quid mirum, si ipsa illius religio in suspicionem vocatur, qui ritus et placita Ecclesiae disciplinaria contemnit?

Imo etiam illa, quae aliquatenus superstitiosa videntur, interdum dissimulare et potius *indirecte* per solidam religionis doctrinam, quam directe evellere oportet; praesertim ubi

ejusmodi opiniunculae ex se innocuae sunt, et a pia plebe cum aliqua sanctitatis persuasione foventur. Viro equidem grandaevo, et quem communitas ex multo jam tempore fidei avitae plene addictum novit, plura conceduntur; ast sacerdotes juniores, dum tales opiniones absque debita circumspectione carpunt, facile sibimet invidiam conflant, et omni postmodum fiducia destituuntur.

4. Demum qui revera hanc de heterodoxia accusationem subiit, utique nihil prius habebit, quam ut doctrinam suam adhibitis aequis rerum arbitris mature discutiat; tumque, si solum sinistra dictorum interpretatio detegitur, mentem suam clare atque perspicue exponere; si vero aliquis error irrepsit, hunc nulla interposita mora revocare studebit. Absit, ut naevos atque errores nostros fateri vel corrigere nos pudeat; cum errare adeo humanum sit, et haec ipsa defectuum nostrorum confessio eximium studium veritatis pulcherrimumque animi candorem attestetur.

§. 172.

De iis, qui circa religionem dubitant.

1. Haud infrequens est homines invenire, qui religionem non quidem inficiantur, attamen vacillant et diversis dubiis detinentur. Atque haec circa religionem fluctuatio jam exinde funesta redditur, quod ejusmodi homines efficacissimis momentis destituantur, quibus ad virtutem disponi et in ejusdem exercitio roborari debeant. Veritas enim nonnisi tum mentem nostram efficaciter commovet, cum de illa plane convicti sumus. Quod vero *imputationem* talium dubiorum attinet, tota iterum quaestio eo revertitur, *qualis animus* sub iisdem lateat.

2. Itaque qui vel ex defectu solidae instructionis de religione sua persuasus non est, vel ex quocunque rerum eventu de illius veritate fluctuare coepit; talis, nisi fors

dubia suborta plane contemnenda videantur, omni, quo potest, modo in veritatem inquirere tenetur; id enim causae praesentis gravitas enixe postulat. Qui jam ad amplectendam veritatem sincere paratus in illam pro viribus inquirit, illamque omni meliori modo edoceri desiderat, is certe nullum exinde reatum incurrit. E contrario qui datam melioris instructionis opportunitatem negligit, adeoque voluntarie dubiis suis immorari pergit, a culpa neutiquam immunis censeri potest, quippe qui, cum veritatis aeque ac propriae salutis sit incurius, tum in DEUM tum in semet ipsum magnam impietatem committit.

Non raro mentes etiam piissimae permolestis circa religionem dubiis divexantur, vel ex impetu tumultuantis phantasiae; prout §. 78. de scrupulosis dixi, vel etiam ex speciali DEI consilio, quo illas per hoc acerbissimum purgatorium humiliare vult et perficere. Cum igitur hujusmodi dubia nonnisi tentationes sint, atque non ex ratione, sed tantum ex phantasia descendant, factu optimum videtur, ut tales ad dubia, quibus laborant, *contemnenda* inducantur, utque omnis desuper timor illis adimatur. Suadendum iis est, ut in ipso tentationis aestu non tam *positive* contra illam decertent, sed potius ut *mentem aliorsum vertendo*, et quasi de via cedentes impetum adversum declinent, donec tempestas desaeviat redeatque serenum.

3. Multo magis adhuc peccant, qui non tantum prae animi levitate vel desidia in veritatem indagare negligunt, sed qui insuper dubia sectantur, in iisdem sibi complacent, et quamvis veritas sat solide ipsis proponatur, suum tamen assensum suspendunt. De his verissimum est, quod leges sacrae pronuntiant, quod nempe *dubius in fide sit infidelis.* Etiamsi enim dogmata divina directe haud inficientur, illis tamen ob mentis perversitatem adstipulari detrectant, atque gravissimo officio turpiter desunt. Fontes

hujus indignissimae obstinationis plerumque sunt vel *turgida superbia*, qua tales supra vulgus eminere volunt, et quidquid eorundem captum excedit, illico stomachantur; vel occultum aliquod veritatis odium, quae, utpote eorum affectibus contraria, ipsis invisa redditur. „*Omnis enim, qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.*" Joann. 3, 20.

§. 173.

Apostasia a fide.

1. Apostasiam definiunt, esse defectionem a vera religione. Hujus igitur criminis reum se facit, quisquis a vera Christi Ecclesia ad partes haereticorum vel infidelium desciscit, e. g. metu instantis persecutionis, spe nuptiarum, ampliandae sortis, placendi potentioribus etc. Nec excusari merentur, qui se quidem de veritate religionis, ad quam transfugiunt, persuasos jactant, attamen errore culpabili, crasso, vel affectato detinentur, eoquod in tanto negotio affectui potius, quam veritati studuerint.

2. E contrario nonnisi per summum nefas illi ducuntur apostatae, qui relicto errore, cui innutriti fuerant, et firma animi persuasione religionem veram amplectuntur. Unde qui relicta haeresi fidem catholicam profitentur, horum mutata religio non *transitus*, sed potius *reditus* vocari debet, utpote qui illuc revertuntur, unde patres eorum desciverant, et proinde non committunt, sed corrigunt apostasiam.

Quid vero, si haeretici, Judaei aliique infideles non animi persuasione, sed motivis indignis, et rationibus nonnisi temporalibus inducti sacra nostra profitentur? Tales re *subjective aestimata* utique ingentem perfidiam et summam animi nequitiam produnt, dum ipsa religione et conscientia sua ad fines mere profanos abutuntur. Et generatim quidem cum

iis, qui fidei profitendae causa ad nos veniunt, quam cautissime agere oportet, ne simulatis eorum contestationibus fallamur.

3. Superfluum videtur, ut denuo exponam, quam enorme peccatum per apostasiam committatur; id enim ex hucusque dictis abunde patet. Praecipue de his dicitur: „*Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hostia. Terribilis autem quaedam exspectatio judicii et ignis aemulatio, quae consumtura est adversarios.*“ Hebr. 10, 26. et seq.

§. 174.

Superstitio religiosa.

1. Superstitionem in sensu stricto acceptam, seu religiosam dicunt, qua quis vel rem aliquam *creatam cultu divino*, vel *DEUM modo indebito* colit. Unde hoc superstitionis genus non tantum fidei, sed etiam spei, charitati et praecipue divino cultui opponitur. Atque inter eos, qui res mere creatas cultu divino prosequebantur, praecipue cultores idolorum eminent. Item, qui omnia caeco cuidam fato adscribentes DEUM ipsum ab illo dependentem esse delirabant. Et quidem de veri nominis idololatria non est, quod plura adjiciam; id unum meminisse juvat, tum ex testimonio Ss. Scripturae tum ex constanti Ecclesiae traditione idololatriam aliud non fuisse, quam cultum daemonibus exhibitum; unde quoque tum immanis ejusdem indoles tum oracula et plura, in quibus dilucidandis recentiores frustra desudant, facile explicantur. Vide Religionsgeschichte von Stolberg. 2. Bd. 3. Beilage.

Praeter *formalem idololatriam* datur etiam alia, quam *practicam* vocare licet. Nempe quisquis libidini, vel avaritiae vel cuivis alii vitio indulget, hoc ipso a DEO avulsus vitam et vires suas turpissimo idolo impendit. Quam ob rem S. Pau-

lus avaritiam diserte *simulacrorum servitutem* nominat, Col. 3, 5. et discipulus praedilectus monet: „*Filioli! custodite vos a simulacris.*“ I. Joann. 5, 21.

2. Inter christianos hoc superstitionis crimen illi potissimum incurrunt, qui rei creatae eam fiduciam adhibent, quae soli DEO debetur; dum e. g. imagini vel cuicunque rei creatae *aliquid Divinitatis* inesse arbitrantur, atque ab illa tamquam *a causa prima et ultima*, seu absolute aliquid boni exspectant; id quod in tractatu de spe theologica fusius exponetur.

Ast plurimum errant, qui etiam legitimum et rite ordinatum cultum sanctorum, vel piarum imaginum reliquiarumque de superstitione arguunt. Pari modo illa fiducia nonnisi per calumniam superstitiosa dicitur, quam juxta mentem Ecclesiae concipimus ex pie pronuntiato nomine JESU, ex contactu evangeliorum, ex rebus benedictis etc. Fieri quidem potest, ut homines improbi vel inculti talibus ad superstitionem abutantur. Verum ejusmodi abusus justum usum neutiquam tollit. Et sane ubi piae imagines, res benedictae etc. juxta mentem Ecclesiae adhibentur, praeclara vehicula fiunt, quibus genuina pietas plurimum promoveri solet. Denique dum tenemus, per Sacramenta novae legis gratiam ex opere operato conferri, vel preces nostras rite peractas certissime exauditum iri, haec et similia ex divina institutione asseveramus, atque DEI ipsius auctoritate nitimur.

§. 175.

Continuatio.

Verum omnium maxime illi peccant, qui vel ut ab angustiis suis expediantur, vel omnino ut aliis noceant, opem ipsius mali daemonis expetunt, cum atrocissimo regni divini hoste quoddam genus amicitiae ineuntes, ipsique fiduciam adhibentes.

Quidquid de expetita ope diaboli sit, negari saltem non potest, fuisse homines sceleratos, qui tale quidpiam tentaverint. Unde eruditionis causa paucis annotare juvat, quid theologi antiquiores de *pacto* et *repacto* cum daemone sentiant. Scilicet ex eorum sententia pactum cum daemone vel potius invocatio ejusdem vel *expresse* vel *tacite* fieri potest. Expresse cum daemone pacisci dicitur, qui illum *directe* in subsidium vocat, sive verbis id fiat, sive aliis signis. Tacite vero talis invocatio subesse censetur, dum quis per medium, quod suapte indole inefficax esse novit, nihilominus certum sibi effectum spondet. Cum enim talis effectus nec a rerum natura, nec a DEO, nec a spiritu aliquo bono sperari queat, et tamen certo exspectetur, hoc ipso aliqua cooperatio daemonis supponitur. Denique *repactum* vocitant, dum quis vel expresse vel tacite infestationem satanae per ipsum satanam depellere conatur, seu dum talia adhibentur media, quibus nonnisi per daemonem exspectatus eventus conciliari potest. Ubi vero nulla daemonis cooperatio expetitur, sed tantum conditiones removentur, ne malus daemon ulterius nocere queat; *id solutionem pacti* dicunt. Unde trita illorum sententia: solutionem pacti licere, repactum vero absolute illicitum esse.

§. 176.

Continuatio.

1. Secunda superstitionis religiosae species committitur, dum quis DEUM verum, ast *modo indebito* colit. Ad hanc igitur superstitionis classem Mahometanismum et modernum Judaeismum referimus. Et quidem qui Koranum profitentur, fascinati per malesanum impostorem, etiamsi tum Moysi tum Christo aliquid honoris deferre videantur, totam tamen salutis oeconomiam repudiant, illique inanes fabulas substituunt. Modernum Judaeismum vero superstitioni accensemus, quatenus haec miseranda patriarcharum progenies Christum, qui totius legis finis existit, pertinaciter aspernatur, et neglecta limpidissima veritate

nugacibus fabulis vanaeque alterius Messiae exspectationi adhaerescit.

Cur non et naturalismum, ex cujus principiis homo nullo mediatore indiget, sed per semet ipsum DEO placere potest? Scilicet infidelitas et superstitio tam indivulse sibi cohaerent, ut separari prorsus nequeant. Et quid de illis dicam, qui humanae rationi veri nominis autonomiam adscribunt, ita ut DEUS ipse ab hac lege dependeat?

Ridenda est recentiorum quorumdam stoliditas, qui ad extenuandum Christi evangelium plenis buccis Koranum depraedicant, atque ipsius tum sententias tum principia ceu summum sapientiae culmen extollunt. Quis enim nescit, plurima, quae ibidem continentur, ex Ss. Bibliis depromta, et nonnisi quibusdam flosculis Orienti propriis exornata fuisse? Et cur non etiam illa divulgant, quae rectae rationi e fronte opponuntur, et absque taedio ne perlegi quidem possunt?

2. Inter homines christianos quantum ad hanc superstitionis speciem illi praecipue carpendi veniunt, quorum cultus, quem DEO impendendum arbitrantur, seclusa omni devotione interna in exercitiis mere corporalibus, vel in externis tantum formulis et ritibus consistit, ut adeo DEUM nonnisi labiis honorent, cor autem eorum longe sit ab illo. Multo majorem adhuc reprehensionem merentur, qui autumant, se per ipsum officiorum suorum neglectum DEO aliquod obsequium praestituros. Dum e. g. neglecta cura suorum vel muneris sibi incumbentis pro mero suo arbitrio longas preces fundunt, huc illuc peregrinantur, res suas, quibus ex certa DEI voluntate inopes parentes vel consanguineos sustentare deberent, ad pia legata distribuunt, aliter sentientes sub specioso titulo religionis odio, calumniis diversisque injuriis persequuntur etc.

§. 177.

Malitia superstitionis et ejusdem detrimenta.

1. Ex dictis facile perspicitur, quam latus in omni vivendi conditione campus pateat, in quem superstitio excurrat, quodque mirum non sit, si Iliacos intra muros peccetur et extra. Sed non minus eliquescit, quantum omnis superstitio tum religionem ipsam tum hominem ratione praeditum dedeceat. Vesana hujus generis commenta veram Christi Ecclesiam aeque deformem reddunt, ac si imperitus aliquis pulcherrimae imagini rudem suum et maculosum penicillum apponat. Equidem Ecclesia ipsa nonnisi per summum nefas hoc nomine accusari potest, quippe quae tales abusus nunquam non exhorruit et comdemnavit. Ast quam pronum est, ut homines a sacris nostris alieni abusum cum usu recto confundant, atque sic, dum haec superstitionis additamenta ab ecclesiastica doctrina discernere non valent, Ecclesiam ipsam contemnendam arbitrentur! Praesertim de illis id obtinet, quibus nomen catholicum exosum, et instituta nostra ridere criminarique in deliciis est.

2. Verum etiam homine rationali res est indignissima per tales ineptias a veritate abalienari, et febricitantis cerebri deliramenta sequi. Insuper quot exinde damna in humanum genus redundant, dum crassior subtiliorve idololatria committitur, vel cultus DEO exhibendus turpiter degenerat! Et quamvis una alterave species hinc inde primo obtutu utilis videatur, semper tamen aliquid detrimenti involvit; id quod ad oculum patet recogitantibus, quidnam futurum esset, si talis superstitiosa opinio universalis fieret. Ut alia taceam, illi, qui talibus somniis detinentur, plerumque media conducentia omittunt, quibus saluti suae providere possent, dumque moram trahunt, malum nimium

quantum invalescit. Praeterea plurimae suspiciones, calumniae, rixae et mutuae exacerbationes inde oriri solent, et non raro horrendi rerum sanctissimarum abusus perpetrantur.

3. Quapropter ipsius Redemtoris vestigiis insistentes omnem plantationem, quam non plantavit Pater coelestis, Matth. 15, 13., eradicare satagamus. Id quod etiam ab Apostolis strenue observatum fuisse legimus, praesertim a S. Paulo, ad cujus hortatum multi ex iis, qui fuerant curiosa sectati, *„contulerunt libros et combusserunt coram omnibus.“* Act. 19, 19.

Attamen in evellendis opinionibus superstitiosis multa iterum prudentia et animi sobrietate opus est. Equidem si talis opinio directe religioni aut bonis moribus adversatur, utique omni modo et quantocyus extirpari debet. Dum vero ejusmodi opiniunculae vix non innocuae videntur, et simul a multa antiquitate plurimum vigoris acceperunt, prudens animarum pastor illas non quidem confirmabit, attamen ad tempus dissimulare, atque studium suum eo dirigere debet, ut successive, atque per solidam institutionem aetatis praesertim juvenilis eas eliminet. Qui importune et concitato impetu in obvias quasque superstiniones invehitur, plurimos quidem offendet, sed vix aliquem corriget, et illi non absimilis videtur, qui aquam non sat limpidam vehementi agitatione adhuc turbidiorem reddit. Unde cum servi dicerent: *„Vis, imus et colligimus zizania?“* Paterfamilias ait: *„Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum.“* Matth. 13, 28. Praeterea non omne, quod profano hujus temporis genio displicet, mox superstitiosum censeri debet. Prae reliquis animarum pastor illis invigilet, qui studio et lucri causa opiniones superstitiosas *divulgant,* dum e. g. hujus furfuris libros et pagellas venditant, de arcanis gloriantur etc.

§. 178.

De iis, quibus fides in discrimen adducitur.

1. Qui ad certum finem obstringitur, tenetur quoque ab iis omnibus abstinere, per quae finis iste periculo exponitur. Quare ne fides nostra tepescat, vel penitus evertatur, inprimis cavendum nobis est ab imprudenti familiaritate et commercio eorum, qui falsa dogmata profitentur. Id quod divinae literae iterato commendant. „*Rogo vos, fratres, ut observetis eos, qui dissensiones et offendicula praeter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt et declinate ab illis.*" Rom. 16, 17. Pari modo Tito praecipit: „*Haereticum hominem post unam et secundam correptionem devita.*" Tit. 3, 10. Joannes vero jubet: „*Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis.*" II. Joann. 10. Quare, nisi officia altioris ordinis talem hominum heterodoxorum consuetudinem exigant, unusquisque illis communia quidem humanitatis obsequia fideliter exhibeat; attamen familiaritatem et frequentem eorum usum caute declinet. Id non tantum religioni nostrae, sed etiam saluti aliorum debemus, ne scilicet iisdem per talem conversationem scandalo et offensioni simus. Denique etiam fama nostra exinde periclitari solet; etenim homines nimis proni sunt, ut ex illis nos aestiment, quorum nos socios et familiares esse animadvertunt.

2. Alterum, quod ex eadem ratione prohibetur, est lectio librorum, qui ad evertendam veram Christi doctrinam conscripti sunt. Imo per legem universalem, et sub ipsa poena excommunicationis statuitur, ne quis libros haereticorum de religione tractantes vel haeresin continentes legat, retineatve, aut defendat. Insuper talis lectio, prout in plerisque aliis, ita quoque in dioecesi nostra

Brixinensi est peccatum, cujus absolutio Episcopo reservatur. Ecclesia hanc legem non ideo tulit, ac si causae suae diffidens adversariorum argumenta pertimesceret; sed quia perbene novit, quanta plerorumque proclivitas sit illis assentiendi, quae congenitae arrogantiae vel pruritui nostro sensuali lenocinantur. Verissimum est, quod Oberrauch advertit, nempe errorem citius *diligi, quam persuaderi.* Quam periculosa igitur talium librorum lectio censeri debet, in quibus vel callida philosophia tumore oratorio, vel etiam oestro poëtico involuta, aut fallax et ingeniosa rerum gestarum distortio, vel demum arbitraria Ss. Bibliorum interpretatio, utique cum ingenti apparatu eruditionis, corruptioni nostrae tam vehementer arridet!

„*Tristis experientia docet, quam multi orthodoxi praepostero novitatis amore, aut splendida novatorum garrulitate, comtiorique, quem antiquorum haereticorum more affectant, stilo eo se abripi patiantur, ut eorum foetus, quantumlibet informes, elegantiori tamen veste contectos, ceu delapsa e coelo pignora excipiant, ambabus ulnis amplectantur, gremio unice foveant, eorumque parentes super aethera extollant; hos prae omnibus audiendos genuini juris, philosophiae moralis historiaeque magistros ducant, hos adorent, et quaecunque hi effutierint, ceu totidem fusa ex tripode oracula mirentur venerenturque; orthodoxos contra jam vel hoc solo nomine velut jejunos ex praejudicata sententia despiciant, eorumque effata tamquam insipida fastidiant, et cum stomacho respuant. Quo fit, ut vitiosas de multis religionis nostrae rebus opiniones concipiant, summos Ecclesiae antistites contemnant, sacros ritus rideant, historias et libros omnes pietatem stillantes et excitantes fervorem ad aniles fabulas condemnent, denique tam pernicioso in pietate christiana tepore ac frigore exitiali obrigescant, ut de eorum salute aeterna, nisi infinita DEI bonitas sive gravibus aerumnis, sive alio gratiae miraculo in illis precationis fervorem excitet, desperandum esse videatur.*“ Malsiner.

3. Huic prohibitioni accedit *index librorum prohibitorum*, in quo varii libri, etiam ab auctoribus catholicis editi, prohibentur vel ob periculum fidei, vel quod ex alio capite legentibus offensionem praebeant. Equidem hisce Ecclesiae sancitis qua *legi ecclesiasticae* in Germania nostra consuetudo contraria multum derogasse videtur. Praesertim libros *secundae classis* nostris in locis nulla lege positiva prohibitos esse dicunt. Unde quoque plurimi ejusmodi libros publice ac sine omni conscientiae remorsu usurpant. Verum etiamsi lex ecclesiastica *qua talis* per consuetudinem mitigari queat, et ubi de *culpa* quaeritur, subjectiva legentium persuasio attendenda sit; nullus tamen inficiabitur, quin per arbitrariam et promiscuam lectionem fides multorum in magnum discrimen adducatur. Ipsi theologiae doctores non raro multum laborant, ut sophismata fallaciter contorta dissolvere, narrationum veritatem, usus ab abusibus, ac jus a violentiis apte discernere, et praesertim ut superbientem apparatum linguarum eruditionisque biblicae solide dijudicare possint. Quid ergo timendum, si homines in religione frigidi, et quibus solida institutio nunquam obtigit, huic lectioni vacant? Quoties tales ancipites haerebunt, et quam pronum, ut quin ipsimet sentiant, inopinato laqueorum astu jam capti teneantur!

B.

DE SPE THEOLOGICA.

Caput I.

Expositio hujus officii.

§. 179.

Notio spei theologicae.

1. Officio fidei succedit *spes theologica*, estque, ut S. Greg. M. inquit, „germana utriusque cognatio, ut quod illa futurum credit, haec sibi incipiat sperare futurum. Dicit fides: Parata sunt a DEO fidelibus suis inexcogitabilia bona; dicit spes: Illa mihi servantur.“ Serm. 10. in Ps. 9. Generatim vero spes duplicem animi affectum prae se fert, scilicet *efficax desiderium*, quo in bonum aliquod ferimur et confidentiam, illud, quamvis obtentu difficile sit, nobis tamen obventurum esse *).

2. Hinc spem theologicam definire licet, esse efficax desiderium, et firmam simul fiduciam, qua omnia bona, quae DEUS nobis promisit, ob infinitam ipsius fidelitatem ab eo exspectamus.

§. 180.

Titulus et motiva spei christianae.

1. Sed quaenam ratio ad tantam fiduciam nos provocat? Si unquam, certe hac ex parte religio nostra tam-

*) Quare nec solum rei cujusdam desiderium, nec sola illius exspectatio essentiam spei constituit, sed utrumque requiritur, id quod etiam Catechismi nostri diserte exprimunt.

quam laetissima annuntiatio, tamquam verum *Evangelium* fulget. Equidem etiam ratio DEUM tamquam infinite benignum et providum exhibet, qui adeo, dummodo ex parte nostra nihil desit, ultimi finis nostri nos faciet participes. Verum eadem ratio fateri cogitur, humanum genus, utpote de prima sua conditione delapsum et depravatum, absque speciali DEI miserentis consilio restitui atque salvari non posse. Quid ergo? num DEUS per novam salutis oeconomiam indigentiis nostris revera providebit? Id philosophia vehementer quidem optare debet, ast *a priori* asseverare nequit. DEUS enim nulli nostrum obstringitur, et prout infinite bonus, ita quoque infinite justus existit. Vel quis eum accusare ausit, quod apostatas Angelos aeternum reprobaverit? Quare hoc divinae misericordiae consilium nonnisi ex patefacta DEI voluntate, seu ex revelatione positiva nobis innotescit.

2. Et revera revelatio divina omne desuper dubium abstergit. Totius religionis nostrae complexus aliud non est, quam dispositio divina, qua nobis plena reconciliatio elevatioque ad conditionem infinities sublimiorem offertur. Insuper divinae literae abundant ejusmodi textibus, qui nobis tum consecutionem ultimi finis nostri tum necessaria media largissime promittunt. Brevitatis causa paucas tantum hujus generis pollicitationes excipiamus.

a) Quod consecutionem finis nostri generatim spectat, divinus Mediator ipsusmet ait: „*Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.*" Joann. 3, 16. „*Venit filius hominis salvare, quod perierat.*" Matth. 18, 11.

b) Quantum ad remissionem peccatorum Christus expresse asseverat: „*Non veni vocare justus, sed peccatores.*" Matth. 9, 13. Unde tum Apostolis tum suc-

cessoribus eorum potestatem peccata remittendi contulit, dicens: „*Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*“ Joann. 20, 23. Quapropter „*si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, JESUM Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*“ I. Joann. 2, 1. etc.

c) De gratia sanctificante: „*Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii DEI; si autem filii et haeredes, haeredes quidem DEI, cohaeredes autem Christi.*“ Rom. 8, 16.

d) Eadem liberalitate gratiae actuales nobis promittuntur. „*Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.*“ Matth. 11, 28. „*Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.*“ Hebr. 4, 16.

e) Denique quoad fata hujus temporis: „*Scimus, quoniam diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum.*“ Rom. 8, 28. Non est ergo, cur aliquando trepidemus; „*omnem sollicitudinem projicientes in eum, quoniam ipsi est cura de nobis.*“ V. I. Pet. 5, 7.

3. Imo ut DEUS infirmitati nostrae condescenderet, fidem suam jurejurando firmavit, „*daturum se nobis, ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus nostris.*“ Luc. 1, 73. Quem in finem Apostolus disserit: „*Homines per majorem sui jurant, et omnis controversiae eorum finis ad confirmationem est juramentum. In quo abundantius volens DEUS ostendere pollicitationis haeredibus immobilitatem consilii, interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est, mentiri DEUM, fortissimum solatium*

habeamus, qui confugimus ad propositam spem, quam sicut anchoram habemus animae tutam et firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis, ubi praecursor pro nobis introivit JESUS, secundum ordinem Melchisedech pontifex factus in aeternum." Hebr. 6, 16. etc.

§. 181.

Continuatio.

1. Quare titulus, cui spes nostra innititur, est infinita DEI promittentis fidelitas. Postquam DEUS fidem suam obstrinxit, imo et juramento firmavit, ratio sane infinita urget, ut bona promissa firmiter exspectemus. Quam parum de DEI veracitate dubitare licet; tam parum infinita ipsius fidelitas absque ingenti reatu in suspicionem vocari potest. Unde et Apostolus hortatur: „*Teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem; fidelis enim est, qui repromisit.*" Hebr. 10, 23.

2. Sed quamvis titulus ex divina fidelitate petitus ponderis plane infiniti sit, ad corda tamen nostra magis adhuc roboranda etiam reliqua DEI attributa concurrunt. Huc praesertim faciunt:

a) *Omniscientia DEI.* „*Nonne quinque passeres vaeneunt dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram DEO? Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere.*" Luc. 12, 16. etc.

b) *Omnipotentia DEI.* „*Quia non erit impossibile apud DEUM omne verbum.*" Luc. 1, 37.

c) Inprimis vero *immensa DEI charitas*, cujus tanta nobis specimina dedit, ut ab ipso jam quaecunque bona exspectare liceat. „*Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum;*

quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?" Rom. 8, 32.

3. Verum haec nobis omnia nonnisi per divinum Mediatorem obtingunt. „*De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia.*" Joann. 1, 16. Ipse est vitis, nos vero palmites. Joann. 15, 5. Prout ergo in palmites nonnisi per vitem vigor et viriditas dispensatur, ita quoque dona coelestia per solum JESUM Christum, atque ex ipsius meritis in nos scaturiunt.

Prout in sacris literis spes saepe per nomen *fidei* exprimitur, ita e contrario hinc inde fides per *spem* denotatur; e. g. I. Pet. 3, 15. jubemur parati esse ad reddendam rationem de ea, quae in nobis est, *spe*. Generatim fides et spes in multis conveniunt; attamen probe discerni debent, dum ex diversis debendi titulis resultant; fides nempe divina *veracitate*, spes vero ejusdem DEI *fidelitate* nititur. Quodsi quaeras, utrum detur obligatio sperandi, cum tamen spes *solum intellectum* afficiat; idem respondendum videtur, quod §. 159. de obligatione credendi dixi. Scilicet etiam quoad spem plurima ex hominis *voluntate* pendent, cujus est, ut inprimis rationes, quibus spes nostra fulcitur, serio et frequenter expendamus; tum vero ut, ubi de divinis promissionibus certi sumus, inter omnes procellas invicti stemus. Fiducia nostra, qua DEO innitimur, non est *merum judicium intellectus*, sed potius *totum hominis animum* occupatum tenet, ita ut DEO sine omni fluctuatione nos *totos* permittamus. Piissimus Propheta certe non tantum theoreticam intellectus persuasionem, sed potius intimum mentis affectum exprimit, dum ait: „*In pace in idipsum dormiam et requiescam, quia tu Domine singulariter in spe constituisti me.*" Ps. 4. Vel si tenellus infans sui per omnia securus totam sortem suam providentiae charitatique maternae committit, quis adeo desipiet, ut hanc ipsius fiduciam ceu *functionem solius intellectus* consideret?

§. 182.

Quid nos sperare oporteat.

1. Ex hucusque dictis facile eruitur, quae sit materia spei christianae, seu quid nos sperare oporteat. Scilicet objectum spei nostrae est plena consecutio ultimi finis, ad quem facti sumus, adeoque DEUS ipse, ex cujus fruitione aeternum sancti et beatissimi erimus.

2. Verum hoc fine potiri haud possumus, nisi etiam necessaria media nobis obtingant. Prae reliquis indigemus remissione peccatorum, gratia sanctificante, qua ad conditionem filiorum atque haeredum elevamur, prout et illis gratiarum auxiliis, quibus intellectui nostro nova lumina, debilitataeque voluntati novae vires advehantur. Denique etiam in regno naturae talis rerum dispositio detur, ut ex benignissimo DEI consilio et adjuvante coelesti favore, quidquid evenerit, ad nostram salutem conducat. Atque, prout §. 180. ostensum fuit, haec omnia a DEO largissime nobis appromissa fuerunt; unde eadem invicta cum fiducia exspectare non licet tantum, sed oportet etiam, imo per rationem infinitam urgemur. Videamus nunc, quae sint dotes spei christianae.

§. 183.

De sanctitate spei christianae.

1. Explicata materia debendique ratione superest, ut necessarias spei christianae dotes recenseamus. Et quidem si ejusdem materiam attendimus, spes *sancta* sit oportet, ita ut nonnisi *vera bona* a DEO exspectemus; quae enim tantum ad speciem bona sunt, reapse vero plus nocent, quam prosint, haec DEUS neutiquam appromisit. Jam vero absolute et per semet ipsum bonus solus DEUS est; pro nobis vero bonum summum, aut potius summam felicita-

tem constituit plena consecutio ultimi finis nostri, seu DEI aeterna fruitio. Unde quidquid ad hunc finem feliciter assequendum conducit, bonum; quidquid vero ab illo nos retrahit, malum dicere fas est.

2. Cum igitur remissio peccatorum, elevatio ad gratiam sanctificantem et gratiae actuales ad consequendum finem nostrum ultimum prorsus necessariae sint; haec DEI dona semper materiam spei dignam constituunt. Quod vero res hujus temporis attinet, pro diversitate circumstantiarum diversa quoque earum indoles esse consuevit; fieri enim potest, ut ad salutem nostram conducant; ast saepe quoque illam plurimum retardare solent. Atque id non tantum de bonis fortunae, sed etiam de bona fama, de sospitate corporis et de ipsa terrena vita nostra obtinet. Unde de homine maturius defuncto dicitur: *„Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. Propter hoc properavit Dominus educere illum de medio iniquitatum.“* Sap. 4, 11. etc.

3. Inde quoad bona temporalia duplex regula infertur: *a)* Ut bona praesentis vitae non propter semet ipsa, sed nonnisi ceu media ad consequendum finem nostrum ultimum appetamus; id quod sensum seu *animum ad coelestia elevatum* constituit; et *b)* ut quantum ad haec bona nos totos divinae resignemus providentiae.

4. Primum itaque quod ad spem prorsus *sanctam* requiritur, est, ut mentem ad coelestia elevatam teneamus, seu ut res terrenas ad stateram sanctuarii aestimantes illas non propter semet ipsas, sed eatenus tantum prensemus, quatenus ad salutem nostram aeternam conducunt. Etenim *„non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.“* Hebr. 13, 14., *„atque dum in hac terra vivimus, peregrinamur a Domino.“* II. Cor. 5, 6. Quapropter voluntas nostra degenerat, quoties intercepto ad

aeternitatis oceanum cursu non nisi bonis hisce fluxis acquiescit. Ad hanc animi sublevationem divina revelatio identidem nos urget. „*Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt, quaerite, ubi Christus est in dextera DEI sedens; quae sursum sunt, sapite, non quae sunt super terram. Mortui enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in DEO.*" Col. 3, 1. etc. De semet ipso autem idem Apostolus profitetur: „*Nostra conversatio in coelis est, unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum nostrum JESUM Christum.*" Philipp. 3, 20. Qui vero DEO de cordibus excluso bonis temporalibus propter semet ipsa inhiant, homines terrenis immersi dicuntur, eorumque consilia et conatus nomine *sensus terreni* veniunt. De his Apostolus quaeritur: „*Multi ambulant, quos saepe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.*" Philipp. 3, 18. etc.

Sed nonne timendum est, ne homines, dum nonnisi coelestibus intenti sunt, rem familiarem et reliqua praesentis vitae munia negligant? Ast nos neutiquam de imaginaria vel pietistica quadam mentis elevatione, sed de illa loquimur, quae ductum rationis per revelationem illustratae sequitur. Atque haec animi erectio officia hujus temporis adeo non contemnit, ut potius insigniter illa promoveat. Qui enim ultimum finem suum semper sibi obversantem habet, eo ipso omnia quam solertissime exequi studebit, ad quae sub quacunque ratione sese obligatum arbitratur; imo non tantum veri nominis officia, sed insuper pro viribus etiam illa persolvet, quae perfectiora seu de bono meliori esse cognoverit. Hinc in omni hominum societate nullibi promtiores exactioresque tum antistites tum subditos invenies, quam qui non intermisso studio ad coelestem patriam anhelant. E contrario qui nonnisi terrenis inhiant, utcunque seduli ac industrii videantur,

revera tamen neminem praeter semet ipsos diligunt; atque exinde tum sibi tum aliis nequam esse consueverunt, et ubi eorundem commodum id expetit, sanctissima jura proculcant. Vae reipublicae, in qua sensus terrenus in omnes tum rectores tum subditos absolutum imperium exercet!

5. Cum hac animi sublimitate indivulse cohaeret plena resignatio mentis nostrae in voluntatem divinam. Nos enim nescimus, utrum haec vel illa vitae praesentis bona ad salutem nostram conductura sint, nec ne. Id ille tantum perspicit, qui uno obtutu omnia lustrat, quique corda hominum et renes scrutatur. Quid ergo satius esse potest, quam ut nos totos infinitae sapientiae et benignitati illius permittamus, cui et capilli capitis nostri omnes numerati sunt, et cujus providentia in rerum dispositione nec fallit, nec fallitur?

§. 184.

Quomodo spes nostra ordinata esse debeat.

1. Altera spei christianae conditio est, ut sit rite ordinata; seu spes ita concipienda venit, ut *a)* ultimo quaecunque bona a solo DEO et per Mediatorem JESUM Christum exspectemus; *b)* proxime vero tum vires et facultates nostras, tum quaecunque media a DEO nobis concessa rite adhibeamus.

2. Quapropter ultimo omnia bona *a solo DEO* exspectanda sunt. Procul absit, ut nos aliosque, aut qualemcunque rem creatam tamquam primum et absolutum boni cujusdam fontem suspiciamus. Equidem et nos recte actionum libere editarum auctores dicimur; ast praeterquam quod et libertatem ipsam a DEO accepimus, haec eadem libera voluntas per gratiam divinam praevie disponi et excitari debuit, ut bonorum fructuum fertilis redderetur. Idem de rebus quibuscunque aliis obtinet: causae proximae

et intermediae esse possunt; sed causa ultima et absoluta omnium bonorum solus DEUS est. Quem in finem Apostolus ait: „*Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*“ I. Cor. 4, 7. Et alibi: „*DEUS est, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.*“ Philipp. 2, 13. Scilicet „*omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*“ Jac. 1, 17.

3. Insuper, prout hucusque saepe innui, quaecunque bona per solum divinum Mediatorem, et ex ipsius meritis exspectare licet. „*Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*“ Act. 4, 12.

4. Verum etiamsi *sub ratione ultima* spes nostra soli DEO et meritis Christi innitatur; proxime tamen et ipsimet facultates viresque nostras exserere, atque media in regno tum gratiae tum naturae nobis concessa adhibere jubemur. Quam ob rem in utroque Testamento frequentes cohortationes occurrunt, ut, dum tempus habemus, bonum operemur, atque vocationem et electionem nostram per bona opera certam facere satagamus. Quod vero reliqua media a DEO nobis concessa attinet, utique divinae dispositioni aperte refragatur, qui illis neglectis immediatum DEI interventum exspectat. Unde legitima spes omnino non evertitur, sed potius ad necessarias illius conditiones spectat, ut per laborem et justam parsimoniam nostris provideamus indigentiis, ut tempore infirmitatis medicum adhibeamus, utque generatim nihil eorum omittamus, quae per divinam providentiam ad salutem nostram fuerunt disposita.

§. 185.

De firmitate spei.

1. Tertia demum spei christianae conditio est, ut divinis promissionibus suffulti omnia bona *firma cum fiducia* et *absque omni haesitatione* a DEO exspectemus. DEUS enim tam aperte et in locis vix non innumeris suam nobis fidem obstrinxit, imo et juramento roboravit, ut spem nostram prorsus immobilem et invictam esse oporteat. Vel si viro alicui gravi certa injuria infertur, ubi ejusdem sponsionibus nulla vel nonnisi tremula adhibetur fiducia, quid tandem erit, si DEO ipsi post tot tantasque promissiones diffidamus?

2. Equidem dum nos ipsos attendimus, plurima occurrunt, quae ad spem nostram labefactandam comparata videntur. Huc praesertim spectant recordatio peccatorum, quae hucusque commisimus, ingens fragilitas et inconstantia nostra, et rerum casuumque in nos irruentium tumultus atque atrocitas. Sed absit, ut aliquis sibi persuadeat, peccata sua divinam misericordiam superare, vel non amplius remitti posse. Potius divinae literae omnibus, qui sincere poenitent, certam abundantemque veniam promittunt. Non incongrue verba illa huc transponimus, quibus Propheta utitur: „*Sic locuti estis dicentes: Iniquitates nostrae et peccata nostra super nos sunt, et in ipsis nos tabescimus; quomodo ergo vivere poterimus? Dic ad eos: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur et vivat.*“ Ezech. 33, 10. etc. Pari modo, quantacunque nostra fragilitas sit „*omnia tamen possumus in eo, qui nos confortat.*“ Philipp. 4, 13. „*Fidelis autem est DEUS, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.*“ I. Cor. 10, 13. Unde

idem Apostolus, qui Rom. 7. adeo de infirmitate sua ingemiscit, mox addit: „*Si DEUS pro nobis, quis contra nos? Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque creatura alia poterit nos separare a charitate DEI, quae est in Christo JESU Domino nostro.*“ Rom. 8, 31. etc.

3. Quod denique rerum circumstantiarumque angustias concernit, etiamsi ad desperationem factae videantur, nunquam tamen vacillare licet. Si enim DEUS pro nobis, quis contra nos? Utique haec tanta fiduciae firmitas res perardua esse solet, et quamvis mens ipsa erecta maneat, sensus tamen inferior facile concutitur. Ast saltem ad tantam celsitudinem magis semper magisque eniti allaboremus, ut inter omnes diffidentiae assultus invicti stemus divinas illis promissiones opponentes; et ubi omnia certam ruinam minitantur, verba illa piissimi Job usurpemus: „*Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.*“ Job 13, 15.

„*Quis jam nobis mentis in DEO solo plene ac constanter confidentis statum apte describet? Quamnam ejus imaginem pingemus? Omni philosophia certior, vi hostili quacunque et ipsa morte fortior, inferni ac aeternitatis ipsius longissime victrix — haec est spes rudi penicillo picta. — Somniavit, nescio unde, aliquid gentilium philosophia, mentem humanam tranquillam semper et inter omnia adversa immotam esse volens; quia tamen divinis promissionibus destituta erat, aut earum potius ignara, hujus, quam imperabat, pacis sufficientem rationem humanae menti ministrare haud potuit. Has DEI promissiones sola religio christiana docet, ad veram et nunquam amplius turbandam pacem securam certamque monstrans viam.*“ Herc. Oberrauch. Tom. III. §. 1184. et seq.

§. 186.

Diluuntur objectiones contra hanc spei firmitatem.

1. Ipsa DEI promissa adeo certa et multiplicia sunt,

ut nemo, qui religionem christianam profitetur, illa nescire vel in dubium vocare queat. Similiter omnes concedunt, fieri absolute non posse, ut DEUS aliquando perfidus existat. „*Ast*," inquiunt, „*DEUS utique fidem suam irritam non faciet; at vero juste haesitamus, utrum etiam ex parte nostra necessariae conditiones adsint. Prout enim DEUS nonnisi vere poenitentibus peccatorum remissionem spopondit, ita et reliqua ipsius promissa tacitam hanc conditionem involvunt, ut nos quoque pro viribus cooperemur; cumque rarissimi sint, qui id faciant, diffidentia nostra nimis fundata videtur.*" Ad hanc objectionem, qua firmitas spei vix non ex integro evertitur, inprimis respondeo: Est sane verissimum, nos, ut divinarum promissionum participes efficiamur, ipsosmet de peccatis nostris poenitere, et supernae gratiae pro viribus cooperari debere. Id paulo ante evictum fuit ostendendo, qualiter spem nostram rite ordinatam esse oporteat. Unde cum S. Augustino omnes reliqui Ecclesiae patres concordant: „*Qui creavit te sine te, non salvabit te sine te.*" Attamen stricte loquendo haec nostra cooperatio non tam *conditionem, ad quam spes restringatur*, sed potius objectum, seu *id constituit, quod a DEO speramus*, utpote qui sine ipso nihil possumus, ast erecti tot divinis promissionibus firmiter exspectamus fore, ut per ejusdem gratiam faciamus, quae nostrarum partium fuerint. *Conditio vere talis*, ut spei nostrae locus detur, est sola animi promtitudo, qua ad faciendam omnem justitiam dispositi atque parati sumus. Etenim, qui hac mentis dispositione destituitur, et voluntatem adhuc perversam fovet, utique frustra de divinis promissionibus sibi blanditur, et quamdiu ita comparatus est, non veniam, sed potius *intentatas poenas* exspectare debet.

2. Quare, ni fallor, sequens concipiendae spei ordo figendus erit:

a) Inprimis requiritur, ut praeveniente agitanteque in nobis gratia animum ad faciendam justitiam sincere paratum habeamus, seu ut mens nostra promissionum divinarum capax existat.

b) Hoc supposito a DEO jam omnia bona exspectare possumus, scilicet non tantum aeternam salutem, sed etiam media ad illam consequendam necessaria; adeoque vel maxime sperare licet, fore, ut gratia divina adjuti vocationem atque electionem nostram per dignos poenitentiae fructus atque per opera bona certam faciamus, „*confidentes, quia, qui coepit in nobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi JESU.*" Philipp. 1, 6.

c) Atque haec ipsa bona opera spem nostram magis magisque corroborant, prout ait Apostolus: „*Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem.*" Rom. 5, 3. etc. Et alibi: „*Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.*" II. Tim. 4, 7. etc. „*Fiduciam autem talem habemus per Christum ad DEUM. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex DEO est.*" II. Cor. 3, 4. etc. Scilicet opera nostra bona et ex gratia divina descendunt, et nonnisi per illam meritum de condigno sortiuntur.

§. 187.

Conciliatio spei cum timore.

1. Denique ad legitimae fiduciae dotes spectat, ut cum

salutari timore jungatur. Scilicet: „*Beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis, qui sperant super misericordia ejus.*" Ps. 146, 11. Hic tamen timor non fluctuationem aliquam de divinis promissis, sed nonnisi justam diffidentiam de nobismet ipsis et spiritum humilitatis prae se fert. Inprimis enim, ut Trid. docet, nemo, quamdiu in hoc mortali corpore sumus, de arcano divinae praedestinationis mysterio eousque praesumere debet, ut certo statuat, se omnino esse in numero praedestinatorum; quandoquidem id sine speciali revelatione sciri nequit. Similiter de *perseverantia finali*, quae singulare DEI donum constituit, nullus *absolute* certus esse potest. Hinc *cum metu et tremore salutem nostram operari* jubemur, et *qui se existimat stare, videat, ne cadat.* Philipp. 2, 12., I. Cor. 10, 12. Pari modo Eccli. 5, 5. dicitur: „*De propitiato peccato noli esse sine metu.*" Vid. Trid. Sess. 6. cap. 12. et 13., can. 15. et 16.

2. Divina scilicet sapientia consulto aliquam nobis incertitudinem reliquit, ut *nesciat homo, utrum amore an odio dignus sit.* Eccle. 9, 1. Spes mentem ad DEUM erigit, timor vero illam adinstar saburrae, qua navis aggravatur, demissam tenet. Illa in operando nos alacres, hic vero cautos et circumspectos reddit; *habemus enim thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis DEI, et non ex nobis.* II. Cor. 4, 7. Vid. S. Bern. Serm. 6. in Cant.

3. Absit vero, ut exinde *pusillanimes* reddamur. Potius quo magis de infirmitate nostra persuasi sumus, eo enixius ad DEUM nos confugere oportet, confidentes, quia *qui coepit in nobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi JESU.* Philipp. 1, 6. Cf. I. Cor. 10, 13.

Caput II.

Peccata opposita.

§. 188.

Contra sanctitatem.

1. Desiderio, quo nos bonis supernaturalibus intentos esse oportet, sensus *terrestris* opponitur. Philipp. 3, 18. seq. Quodsi quis rebus vel voluptatibus terrenis ita inhaereat, ut saltem virtualiter coelo renuntiare velit, si hisce perpetuo frui posset; hunc certe hominem limo terrestri penitus immersum nuncupare licet. Idem fere de illis obtinet, qui, dum haec omnia quondam a se relinquenda esse cogitant, immoderato stultoque moerore tabescunt.

2. Alterum vitium, quod huic sanctitati repugnat, est defectus justae resignationis in voluntatem divinam, dum adinstar pervicacis infantis rejecto consilio optimi parentis praefracte contendimus, ut *nostrae voluntati* satisfiat. Neque hoc vitium infrequens esse solet. Saepissime accidit, ut, qui casu aliquo adverso premuntur, illum absolute et absque omni adjecta conditione a se amoliri conentur, et ubi divina providentia aliter disponit, in amara lamenta, vel omnino in verba blasphema prorumpant.

§. 189.

Fiducia superstitiosa.

1. Ad spem rite ordinatam pertinet, ut omnia bona ultimo a solo DEO et per divinum Mediatorem exspectemus, proxime vero nihil eorum omittamus, quorum nobis copia et opportunitas datur. Huic justissimae exactioni prae reliquis illa superstitionis species adversatur, qua bonum aliquod a rebus creatis *absolute*, seu tamquam ex *causa prima et ultima* exspectatur. §. 174. Huc igitur

tum *praesumtio de nobismet ipsis* tum *vesana fiducia* erga res quascunque alias spectat, atque ipse cultus Sanctorum ex hoc capite in superstitionem degenerare potest, dum nempe illos tamquam causam primam et tamquam fontem cujusdam boni expetiti suspicimus. Inprimis ergo peccatur per inordinatam fiduciam de *semet ipso conceptam*, dum propriis nostris viribus innixi omnia nonnisi ex nobismet ipsis, vel ex nostra agendi dexteritate exspectamus. Hunc errorem subtilem admodum divina revelatio saepe redarguit. Inter alia etiam verba S. Jacobi huc spectare videntur: „*Ecce nunc qui dicitis: Hodie aut crastino ibimus in illam civitatem. Pro eo, ut dicatis: Si Dominus voluerit.*“ Jac. 4, 13. etc. Prout vero haec de semet ipso praesumtio frequentissime deprehenditur, ita quoque saluti nostrae vehementer obest. DEUS enim, ut Propheta ait, gloriam suam non dabit alteri, et propterea illis, qui sibimet ipsis innituntur, efficacissima auxilia subtrahit, eosque propriae infirmitati relinquit. Etiam in cura animarum summopere nobis invigilare debemus, ne felicem eventum laboris nostri nobismet ipsis adscribamus. „*Ego plantavi,*“ inquit Apostolus, „*Apollo rigavit; sed DEUS incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat, DEUS.*“ I. Cor. 3, 6. etc. Hinc communis illa Patrum piorumque scriptorum sententia, qua docent, humilitatem esse fundamentum totius perfectionis, ita ut hac deficiente salus nostra certe claudicet.

2. Non minus illa fiduciae exorbitatio frequens invenitur, qua omnem spem nostram vel in hominibus, qui potentia aliisve praerogativis excellunt, vel in terrenis divitiis aut quibuscunque rebus creatis reponimus. Utique aliorum consilia et opem exquirere, resque a DEO nobis concessas adhibere decet, ita tamen ut omnis nostra fiducia

ultimo in solum DEUM desinat. „*Haec dicit Dominus: Maledictus homo, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus.*“ „*Benedictus, qui confidit in DEO, et erit Dominus fiducia ejus.*“ Jer. 17, 5. etc. Atque ex eadem ratione, etiamsi medicos et pharmaca adhibere bonum sit, regi tamen Asae in culpam imputabatur, quod „*nec in infirmitate sua quaesierit Dominum, sed magis in medicorum arte fuerit confisus.*“ II. Paral. 16.

3. Denique etiam illi hujus superstitionis reos se faciunt, qui spreto divino Mediatore salutem suam per semet ipsos exspectant, atque ad exemplum Pharisaei de imaginaria vitae suae honestate intumescunt. Luc. 18, 10. etc. Et hanc quidem gravissimam culpam praesertim aetas nostra incurrit, ubi tot, qui reliquorum duces esse volunt, divinam salutis oeconomiam evertere conantur, solum naturalismum docentes.

§. 190.

Continuatio.

1. Ex parte opposita contra hanc eandem spei conditionem per fiduciam *temerariam* impingitur, seu dum quis neglectis causis intermediis, quas adhibere oportet, certum effectum immediate a DEO exspectat. E. g. dum aegrotans medicamenta et subsidia ordinaria respuit, sibique de immediato interventu DEI blanditur. Non minus illi notam superstitiosae temeritatis merentur, qui salutem suam vel ex *sola fide in Christum* seclusa nempe propria cooperatione, vel ex *certis precandi formulis ritibusque mere mechanicis* exspectant.

2. In hunc igitur censum illud quoque peccatum venit, quod *tentationem DEI* vocant, dum nempe absque sufficienti ratione a DEO aliquod miraculum expetitur; *absque*

sufficienti ratione inquam; qui enim in singularibus rerum circumstantiis versatur, atque impulsu vere divino agitur, dum immediatum DEI interventum implorat, utique non temeritatis, sed potius insigne fiduciae specimen edit, dum divinis promissionibus firmissime inhaerens contra spem sperare pergit.

3. Aliud fiduciae temerariae exemplum praebent, qui eo ipso, quod DEUM infinite benignum et misericordem esse sciant, liberius peccare, vel conversionem suam directe in seram senectutem differre, sicque peccatis suis insordescere praesumunt. Hanc animi perversitatem *fiduciam temerariam erga divinam misericordiam* nuncupant. Absque dubio, dum quis divina misericordia tali modo *directe* abutitur, peccatum exinde plurimum ingravescit; horrendum quippe est immensam DEI bonitatem ita detorquere, ut tamquam causa ad peccatum impellens usurpetur.

Sed quid, si repraesentatio divinae misericordiae *indirecte* tantum peccati horrorem imminuat? In hoc casu imputatio potius mitigari videtur, quia videlicet rationes a peccato absterrentes multum debilitantur. Atque haec indirecta temeritas vix non in omnibus peccatis occurrit. Quis enim legem divinam in materia gravi transgressurus esset, si tali transgressioni absque omni spe veniae mox aeterna reprobatio immineret.

§. 191.

Peccata firmitati opposita.

1. Contra firmitatem spei omnis vacillatio et diffidentia pugnat. Prae reliquis tamen illi spectaculum vere lugubre exhibent, qui de salute sua desperantes spem omnem abjiciunt. Atque haec peccata, dum *objective* considerantur, nullam materiae parvitatem admittunt, utpote quae titulo prorsus infinito, divinae nempe fidelitati opponuntur. Prout

ille, qui DEO revelanti fidem detrectat, ingens piaculum committit, ita etiam qui DEO promittenti haud confidit.

2. Attamen re *subjective* considerata praecipue in hac materia, persaepe multa judicii mitigatio intercedit. Complures enim ideo tantum vacillant, quia solida circa hoc officium instructione destituuntur; et praesertim in magnis rerum angustiis homines perraro sui sat compotes esse solent. Saepe vel tetrica corporis dispositione, vel repentinis casibus status moralis plene intercipitur, vel etiamsi id non fiat, ea tamen, quae in tanta sensuum tempestate fiunt, plerumque in culpam gravem haud imputanda videntur. Quis e. g. Petrum, dum ad conspectum tumultuantis maris trepidare coepit, Matth. 14, 30., de reatu lethali accusabit? Equidem reprehensibilis fuit, ita tamen ut infirmus potius, quam improbus dici mereretur. Sed nemo inficias ibit, quin talis diffidentia et praesertim omnimoda mentis abjectio culpam etiam immediate gravem involvere queat, praesertim in hominibus, quibus divina promissa sat cognita sunt. Denique etiamsi tales defectus in peccatum grave imputari nequeant, pessimi tamen ominis esse solent. Quid enim de illo timendum non est, qui identidem diffidentiae fluctibus jactatur, vel omnino vortice desperationis submergitur? Quare ad praecipua pastoris officia pertinet, ut gregem sibi commissum de hac nobilissima virtute solide instruere, atque inter quaecunque rerum discrimina animos in spem erectos servare studeat.

C.

DE THEOLOGICA CHARITATE.

§. 192.

Notio charitatis theologicae.

1. Vinculum perfectionis est charitas, imo perfecta charitas est perfectio ipsa. Definitur vero, esse virtutem theologicam, qua DEUS tamquam summum bonum propter se, proximus vero propter DEUM diligitur. Pulcherrime S. Aug. ait: „Charitatem voco *motum animi* ad fruendum DEO propter ipsum, et se et proximo propter DEUM.“ De doctr. christ. l. 3. c. 10. Quia tamen de illa dilectionis specie, qua quisque tum se, tum alios prosequi jubetur, alibi dicturus sum, hic illam solum percenseo, quae proxime in DEUM fertur.

2. Inprimis itaque, dum de virtutis hujus *habitu* loquimur, prout fidem et spem, ita quoque charitatem *supernaturalem* et *infusam* dicimus, Apostolo attestante: „*Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*“ Rom. 5, 5. Cf. Trid. Sess. 6. cap. 7. Et hic quidem habitus in nos confertur, quoties gratia sanctificante donamur; vicissim per omne quoque peccatum mortale amittitur *).

3. Objectum hujus charitatis est DEUS ipse, in quem mens nostra movetur atque contendit. Sed idem DEUS est

*) Disceptatum fuit inter theologos, utrum gratia sanctificans sit ipsa charitas, an aliquid ab illa distinctum. Vid. Liebermann. Tom. IV.

etiam ratio movens, et quidem non quatenus *nobis bonus*, sed prout in se ipso bonum summum, atque omni amore infinite dignus existit *).

§. 193.

Tituli hujus officii.

1. Primus charitatis theologicae titulus est Divinitas ipsa. Scilicet eadem infinita bonitas, quae in aliis officiis per titulos remotiores et creatos nos aggreditur, hanc charitatem proxime ac per semet ipsam urget. Sed quis mortalium gravitatem et pondus hujus tituli prorsus infinitum ad captum nostrum exponet? Jam §. 33. verbis Oberrauchii annotavi, ipsam aeternitatem, imo aeternitates innumeras DEO non tantum minores esse, sed penitus disparere. Quotquot aeternas beatitudines tibi effinxeris, hae omnes ad DEUM se habent, tamquam *nihil ad omnia*. Dignam Divinitatis ideam in solo mysterio Ss. Trinitatis detegimus. Scilicet tantus est DEUS, ut ad exprimendam illius magnitudinem nulla forma, nulla prorsus imago sufficiat, quae DEO minor, et DEUS ipse non sit. Solum verbum aeternum, quod erat in principio apud DEUM, et per quod omnia facta sunt, Joann. 1, 2. etc., ipsum plene cognoscit, ac plene exprimit, et propterea *splendor gloriae*, et *figura substantiae ejus* dicitur Hebr. 1, 3. Scilicet *„DEUM*

*) Sub hac igitur ratione *amor charitatis* tam ab amore concupiscentiae, quam gratitudinis differt. Fieri tamen potest, ut *amor gratitudinis* cum charitate vix non ex integro confluat, dum scilicet non tam beneficia in nos collata pensitamus, sed potius *affectum amantis*, atque ejusdem magnitudine abrepti ad charitatem mutuam accendimur, dicentes cum Apostolo: *„Charitas Christi urget nos etc.“* II. Cor. 5, 14. Unde et hic utramque dilectionis speciem promiscue exhibemus.

nemo vidit unquam; unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit." Joann. 1, 18. Porro, prout in Filio verbum et quasi figuram Patris, ita in Spiritu sancto infinitum DEI amorem suspicimus. „*Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*" Rom. 5, 5. Quanta igitur DEI bonitas erit, cui digne amandae nulla itidem charitas par esse potest, quae non sit DEUS ipse! „*Haec denique divinissima charitas,*" ut Oberrauch pergit, „*ipse scilicet Spiritus sanctus est divini amoris summum exemplum simul, et pro divina bonitate argumentum extremum. Nonne ergo portentorum extremum erit, si voluntas humana immensae huic rationi resistens tantam bonitatem non diligat? Ad amorem infinitum obstringeremur, si aliquid infiniti in nos caderet. Huc sane spectant gravissima illa Spiritus sancti verba: Terribilis Dominus, et magnus vehementer, et mirabilis potentia illius. Glorificantes Dominum, quantumcunque potueritis, supervalebit enim adhuc.*" Eccli. 43, 31. etc. Oberr. Tom. IV. §. 1243. etc.

2. Ast praeter infinitam DEI excellentiam multae adhuc aliae rationes occurrunt, quae ad immediatum DEI amorem nos provocant, immensa scilicet et innumera beneficia, quibus ad summam et perennem gratitudinem obstringimur. Et si quidem in iis non tam dona, sed *donantis affectum* attendimus, ubique benignitas vere infinita resplendet, praesertim si cogitamus, quisnam DEUS sit, et qui nos simus. Sed etiam ex *donis ipsis* quaedam plane divina sunt, quo praecipue sanctissima mysteria incarnationis, passionis ac mortis et Eucharistiae spectant, utpote in quibus DEUS semet ipsum pro nobis impendit. Cum ergo omnis amor amorem semper mutuum et parem expetat, quid demum DEO Optimo Maximo retribuemus pro omnibus, quae retribuit nobis? Hinc illa verba Apostoli:

„Charitas Christi urget nos, aestimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Et pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit.“ II. Cor. 5, 14. Quod speciatim mysterium Eucharistiae attinet, cum ejusdem suavitate atque dulcedine nihil, quod infra Divinitatem est, vel a longe comparari potest, dum DEUS-Homo semet ipsum aeterno Patri in quotidiano sacrificio Missae pro nobis offerre pergit, nobisque corpus suum et sanguinem una cum anima et Divinitate manducandum praebet. Insuper per non interruptam in hoc Sacramento praesentiam amantissimus Redemtor nobis perennem sui copiam facit, idque non tantum in magnis urbibus, sed etiam in singulis prope pagis, et ubicunque nobis placuerit, civis, inquilinus et contubernalis noster esse desiderans. Neque ab hoc infiniti amoris consilio tot tantisque injuriis amoveri potuit, quas in hoc mysterio sibi illatum iri praevidit, nimirum *„quia fortis est ut mors dilectio. Aquae multae non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.“* Cant. 8, 6. etc.

3. Verum etiam reliqua DEI dona, etiamsi finita tantum sint, nos tamen ad amorem reciprocum, atque ad singularem contestationem gratitudinis provocant. Et quidem in ipso regno naturae tot et tam praeclara DEI dona occurrunt, ut neque in numerum redigi, neque satis aestimari possint. Quidquid enim sumus possidemusque, utique a DEO accepimus. Sed quod pessimum, haec eadem beneficia ab auctore naturae nobis concessa plerumque tum demum expendi consueverunt, ubi iisdem destituimur, suntque innumeri, qui his ipsis donis ad summam DEI offensam turpiter abutuntur.

4. Ast super haec, quae nobis in rerum natura obtin-

gunt, in immensum eminent dona *gratiae* et *gloriae*, scilicet, ut pauca tantum commemorem, electio ad veram Christi religionem, gratia sanctificans, qua in sortem filiorum adoptamur, et gratiae actuales, quibus in Ecclesia catholica abundamus; denique in patria coelesti summa omnemque captum excedens beatitudo, qua DEO ipso per omnem aeternitatem fruituri sumus. „*Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii DEI nominemur et simus. Charissimi, nunc filii DEI sumus: et nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum, sicuti est.*“ I. Joann. 3, 1. etc.

5. Imo etiam *ratio propriae salutis nostrae* hanc specialem charitatem et resultantem inde cultum Divinitatis imperat, eoquod hic idem cultus subsidium ad virtutem prorsus necessarium existat, ut infra videbimus. Attamen alienissimi sumus ab assertione illorum, qui DEUM ideo tantum colendum esse docent, quia exinde tum in singulos tum in totam societatem insignia commoda redundant. Haec commoda rationes secundariae et accessoriae esse possunt; sed ratio prima et principalis est ipsa infinita dignitas DEI *).

§. 194.

Dotes et conditiones charitatis theologicae.

1. „*DEUS spiritus est, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.*“ Joann. 4, 24.

*) Rectissime inquit Cicero: „Ii, qui dixerunt, totam de diis immortalibus opinionem fictam esse ab hominibus sapientibus reipublicae causa, ut, quos ratio non posset, eos ad officium religio duceret, nonne omnem funditus religionem sustulerunt? De nat. deor. l. 1. Cf. Liebermanns Schulrede. Mainz 1817.

Jam hinc patet, non quamcunque suavem cordis affectionem charactere legitimi amoris insigniri, sed hunc in finem requiri, ut non merus sensus, sed *spiritus* seu animus rationalis DEO sese devoveat, utque hanc devotionem internam etiam per actus convenientes testemur. Certe nonnisi hac ratione DEUM in spiritu et veritate adoramus, illumque ita diligimus, prout tum ipsum tum naturam nostram rationalem decet. Quare primam charitatis dotem dicimus, ut *rationalis*, seu ut *devotio ipsius animi* existat. Quod vero *charitatem sensibilem* attinet, dum nempe praeter animum etiam sensus nostri afficiuntur, vix non eadem repetenda sunt, quae §. 135. de *sensibili dolore* diximus.

a) Scilicet inprimis amor hic sensualis cum vera et rationali charitate facillime componi potest. Imo naturae nostrae quam maxime convenit, ut ex viva repraesentatione DEI etiam sensus ipsi summa suavitate perfundantur. Cum enim cor nostrum tanto impetu in DEUM, utpote bonum infinitum et ultimum terminum nostrum fertur, quid mirum, si pectus ineffabilem dulcedinem persentiscit, et quasi dilatatur, ubi mens nostra DEO sese totam impendit, ipsumque ulnis filialis amoris constrictum tenet? Unde et Propheta divino amore quasi colliquescens ait: „*Mihi autem adhaerere DEO bonum est*,“ Ps. 72, 28., atque ut omnes tantae dulcedinis participes faciat, hortatur: „*Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.*“ Ps. 33. Taceo alia piissima mentis exultantis suspiria, quibus praesertim divini psalmi redundant. Absit ergo, ut pro more quorundam recentiorum tales animi affectiones indignas, et genio verae charitatis adversantes dicamus, quippe quae suapte natura ex intima nostra cum DEO conjunctione scaturiunt, et insuper plurimum

conferre solent, ut mens nostra terrenarum voluptatum pertaesa illuc suspiret, ubi vera sunt gaudia, et ubi immensitas cordis nostri plene tandem explebitur.

b) Attamen hae pietatis sensiones neutiquam essentiam charitatis constituunt, quippe quae in devotione animi rationalis consistit. Unde eaedem affectiones absque dispendio veri amoris deese possunt, et revera in piissimis non raro animis desiderantur. Sed non est, cur animi DEO sincere addicti de tali sensuum ariditate sibi timeant.

c) Imo, prout rerum omnium, ita quoque talium sensionum multi abusus dantur. Homines enim, quibus cor molle ac tenera indoles est, de hac sensionum affluentia interdum sibi complacent, et quamvis reliquis forsan officiis desint, suam tamen salutem in tuto positam opinantur. Alii vero sensionibus hisce ita indulgent, ut omnis eorum devotio jam solam phantasiam occupet, dumque rejecto rationis imperio nonnisi inebriatos sensus sequuntur, fieri solet, ut tum sibi tum aliis lugendum in modum illudant, prout infra de mysticismo dicetur.

d) Denique charitas nostra, qua voluntas ipsa seu *animus rationalis* in DEUM fertur, eo magis nobis imputari debet, quo minus dulcibus hujusmodi sensibus perfundimur. Qui talibus affectionibus abundat, navi comparari potest, quae plenis velis portum subit, ubi adeo nullus in remigando labor datur. Ast qui in magna sensuum ariditate DEO vere devotus manet, hoc ipso ventis secundis destitutis validis incumbere remis, et obstrepentes fluctus multo cum labore sulcare debet.

2. Altera charitatis conditio est, ut prout rationi, ita etiam religionis nostrae genio apprime conveniat, seu ut

sit *filialis.* „*Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba! Pater!*“ Rom. 8, 15. Quare quo magis in religione nostra profecerimus, eo magis in locum timoris *affectus filialis* succedet. Quem in finem discipulus prae reliquis charus inquit: „*Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor poenam habet; qui autem timet, non est perfectus in charitate.*“ I. Joann. 4, 18.

3. Pari modo ad necessarias charitatis dotes pertinet, ut DEUM *super omnia* diligamus. Distinguunt vero theologi inter charitatem *intensive*, et *appretiative summam*. Illa intensissimum cordis affectum, seu amorem *pathologice summum* enuntiat; haec vero talem animi dispositionem jubet, ut malimus quamcunque rerum, imo et ipsius vitae jucturam subire, quam DEUM peccato, praesertim gravi offendere. Unde cum sensiones ex nostro arbitrio haud pendeant, charitas *intensive summa* imperari nequit, atque verba illa nonnisi de charitate appretiative summa intelligenda sunt, quibus dicitur: „*Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus etc.*“ Matth. 10, 37. etc.

§. 195.

Praecipuae exhibitiones hujus amoris.

1. Qui amicum suum vel parentem sincere et vehementer diligit, de ejusdem bonis, non secus, ac si sua essent, laetatur; eidem quam maxime displicere timet, neque minus de offensis dolet, quas illi prius intulerat; si quid boni illi deesse videt, id illi pro viribus procurare nititur; eidem omni modo placere satagit, et demum suam voluntatem ita illius placitis resignat, ut non jam in se ipso, sed nonnisi in dilecto capite spirare videatur. Absque

dubio etiam charitas divina hoc modo se exserit, unde quo magis hi effectus in unoquoque deteguntur, eo major quoque in eo charitas fervet *).

2. Praecipuus itaque charitatis actus est gaudium, quo de DEO nostro laetamur. Hac enim ratione DEO, ut ita dicam, DEUM ipsum volumus, dum scilicet intimo corde gratulamur, *illum esse, qualis est.* Simul vero haec eadem de Divinitate exultatio summam quoque mentis beatitudinem constituit, quippe cum ratio gaudendi exultandique prorsus infinita sit. Vel quid demum moeroris in animis remanere potest cogitantium: Datur DEUS, et quia DEUS sub quacunque ratione *bonum infinitum* existit, jam nihil boni deest?

Equidem tantum gaudium, quod plenam animi pacem et immensam ejusdem beatitudinem constituit, nonnisi felicissimae aeternitati reservatur; attamen jam in hac vita illud saltem inchoare decet, ut mens nostra super omnes terrenas cupiditates adversitatesque elevata identidem huic cogitationi inhaereat: *„Datur DEUS, et hoc abundantissime sufficit.“*

§. 196.

Timor filialis.

1. Ex hac eadem Divinitatis contemplatione pulcherrimi habitus mentis vere devotae resultant, qui quaquaver-

*) Superessent adhuc complura alia, quibus amor se manifestat, e. g. amans frequenter et cum gaudio de dilecto cogitat, sermocinatur etc., quidquid ab illo acceperat, vel in quibus aliquod illius vestigium reperit, magni aestimat, et reveretur; ejusdem etiam propinquos et amicos diligit, adversarios vero et inimicos cum ipso reconciliare studet, vel ubi id fieri jam non potest, eosdem horret etc. Attamen ne longior sim, hoc loco paucos tantum amoris characteres referre placet.

sus se exserunt, et quos non incongrue *devotionem practicam* nuncupare licet; scilicet *a)* sub *ratione negativa* timor filialis, et *b)* sub *ratione ajenti* tum studium ad majorem semper perfectionem eluctandi, tum vivus et efficax divinam gloriam dilatandi conatus.

2. Est vero timor DEI filialis sollicita cura ex sincero amore DEI ea omnia cavendi, quae ipsi displicent. Filiorum quippe est, ut ex amore ac reverentia erga optimos parentes omnem illorum offensionem peste magis et angue abhorreant. Quare hic timor, cum in *affectu animi* resideat, cum firmitate spei optime conciliatur; et pari modo a *timore servili* differt. Timor filialis enim impulsu charitatis divinae, servilis vero propter impendentes poenas peccatum aversatur.

3. Atque timor iste filialis, prout conscientiam semper teneram sibi annexam habet, ita quoque mentem hominis insigniter ornat. Vel quis illum non aestimare cogitur, qui coram DEO ambulans et filiali charitatis affectu perfusus omnes etiam levissimas illius offensiones summopere perhorrescit? Imo haec eadem filialis sollicitudo certissimum indicium praebet, quantum unusquisque in charitate DEI profecerit. Piae sensiones, affectus teneri, frequentata religionis exercitia aliaque opera externa fallunt quandoque; ast qui filiali reverentia ductus ab omni DEI offensa refugit, hujus charitas certe nonnisi per summam injuriam in dubium vocatur.

Quodsi profanum sciolorum vulgus ejusmodi homines ridet, et de micrologia condemnat, tales nonnisi sibimet ipsis sententiam dicunt. Imo etiamsi tenerrimus flos iste hinc inde spinis scrupulorum sepiatur, scrupuli equidem materiam commiserationis praebent, sed flos ipse admirationem meretur.

§. 197.

Studium perfectionis.

1. Prout haec erga DEUM charitas omnem ipsius offensam horret, ita quoque nos allicit, ut ad majorem semper perfectionem enitamur. Quid enim filio ingenuo magis proprium, quam illa semper sectari, quibus de optimo parente bene mereri seque illius benevolentia digniorem efficere queat? Unde divinus Redemtor ipse hortatur: „*Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est.*" Matth. 5, 48. Idem Apostoli data quavis occasione urgent. „*Et hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia et omni sensu.*" Philipp. 1, 9.

2. Atque haec cohortatio ad majorem perfectionem certe non aliquos tantum, sed omnes, quotquot sumus, aggreditur. Verum quidem est, eo plura ab unoquoque nostrum requiri, quo plura nobis concredita fuerunt; attamen prout omnes eandem destinationem eandemque supremam legem nacti sumus, ita omnes quoque provocamur, ut pro virium nostrarum modulo rerumque conditione studeamus ad majorem semper perfectionem eluctari.

Exinde tamen inferri nequit, consilia in veri nominis praecepta converti. Discrimen illud, quod inter voluntatem DEI invitantem et stricte praecipientem intercedit, per has charitatis provocationes neutiquam aboletur. Unde duplex error cavendus venit: *a)* Ne opinemur, studium perfectionis non omnibus, sed aliquibus tantum hominibus commendari, et *b)* ne consilia cum praeceptis confundentes, quidquid minus perfectum est, pro veri nominis peccato habeamus.

3. Verum eadem charitas instat, ut divinum honorem etiam in aliis vindicare et promovere conemur. Unde si DEO cum affectu vere filiali inhaeremus, inprimis de tot illius offensionibus, quae ubique terrarum fiunt, non do-

lere non possumus. Quamvis enim DEO ipsi de felicitate sua exinde nihil decedat, quis tamen sincerus DEI cultor aequo animo ferat, dum ipsius benignissima consilia a tanta hominum multitudine contemni, et ejusdem praecepta tam atrociter violari videt? Imo etiam charitas fraterna ad hanc commiserationem nos provocat, cum tot nobilissimas et divino sanguine redemtas animas sempiterno exitio imminentes spectamus. Atque hic tot Sanctorum lamenta et lacrymae, quibus, cum adhuc in terra versarentur, crimina perversorum deflere consueverant. Ast ex eadem semper ratione nos quoque divinam gloriam pro viribus ampliare oportet, ut sanctificetur nomen ejus, et ejusdem regnum adveniat. Brevitatis gratia ad illa provoco, quae §. 166. de studio dilatandae religionis occurrunt.

SECTIO II.

DE CULTU DIVINO.

§. 198.

Officium DEUM colendi.

1. Non solum doctrina revelata, sed ipsa quoque ratio jubet, ut *cuique suum* praestemus, *cui timorem, timorem, cui honorem, honorem.* Rom. 13, 7. Cum ergo DEUS cultum nostrum tantis titulis mereatur, quem latere potest, hunc etiam justissimum esse! Cf. Malach. 1, 6.

2. Et essentia quidem hujus cultus, prout paulo ante de charitate dixi, in submissione *ipsius animi* consistit. Joann. 4, 24. Cf. Ps. 49. 13. seq. Sicut corpus sine anima aliud non est, quam cadaver; ita quoque cultus, qui omni prorsus mentis affectu destituitur, nonnisi fallax umbra vocari potest. Sed absit, ut exinde *cultum externum* superfluum dicamus, quem quidem errorem Ecclesia jam olim in Trinitariis rejecit. Inprimis enim cum totus homo ad DEUM factus sit, dignum plane justumque est, ut homo etiam totus suam DEO subjectionem et reverentiam contestetur. Tum vero tanta est corpus inter et animum connexio, ut affectus et sensus nostri, si quidem sat vivi existant, jam suapte indole in corpore et organis nostris se spectandos praebeant. Qualis pictor e. g. adeo delirabit, ut hominem in oratione defixum cum dissoluta fronte, vagis oculis et indecenti corporis habitu reprae-

sentet! Ast vicissim pietas interna decenti sensuum exteriorum applicatione, atque congruis ritibus plurimum foveri et succendi solet. Vid. Trid. Sess. 22. cap. 5. Accedit mutua relatio nostra, qua nos invicem ad cultum divinum excitare jubemur. Eph. 5, 19., Col. 3, 16. Denique cultum externum tum ipsius Redemtoris et Apostolorum exempla, tum constans universalis Ecclesiae disciplina urgent. Cf. Matth. 14, 23., ibid. 16, 39. et seq., Joann. 7, 14. et 17, 1., Act. 2, 46. *).

3. Atque ad hunc cultum vita ceteroquin honesta nequaquam sufficit, sed omnino actus quidam peculiares requiruntur. Etenim singula officia etiam propria pensa sibi deposcunt. Cum igitur veri nominis officium detur, DEO immediatum cultum exhibendi, qua ratione ipsi per officia *aliunde debita* satisfieri posset! Taceo de scandalo, quod ex neglectu cultus divini in alios redundat; nam, etiamsi hoc fors abesset, jam ipsa natura dictat, illum ab omnimoda justitia multum distare, qui reliqua quidem officia exequitur, huic vero, quod tantis rationibus fulcitur, nullum, vel nonnisi parcissimum pensum defert **).

4. Imo etiam ratio *propriae salutis* specialem hunc cultum imperat, utpote qui subsidium virtutis prorsus ne-

*) In hoc ipso exteriori cultu DEI *externam religionem* reponunt; unde officia, quae hic expendimus, communiter officia religionis dicuntur.

**) Adversarii nequidquam ad Rom. 13, 8. vel Jac. 1, 27. provocant. Inprimis enim de utroque Apostolo satis constat, quanto studio cultum divinum semper commendaverint. Qua ratione igitur illum superfluum duxisse supponi possunt? Tum vero, ubi contextus attenditur, S. Paulus l. c. aperte nonnisi de lege *secundae tabulae* disserit; S. Jacobus vero illos tantum redarguit, qui neglectis operibus nonnisi *fidei sterili* innitebantur. Cf. Klüpfel Tom. I. §. 6.

cessarium constituit. Scilicet in oratione demum, aliisque pietatis exercitiis ea nobis auxilia obtingunt, quibus nemo sine salutis dispendio carere potest.

§. 199.

Indoles et partitio hujus officii.

1. Cum igitur ad DEUM colendum obstringamur, talis profecto cultus ipsi impendi debet, quem ipsusmet determinare dignatus est. Hinc praeprimis illae cultus divini partes summam a nobis reverentiam expetunt, quas Christus ipse sancivit, sacrificium nempe, et Sacramenta N. L. Verum et ea unicuique nostrum sancta sint, oportet, quae summi Ecclesiae antistites pro concessa sibi potestate hunc in finem disposuerunt, quaeque revera vim legis habent. Etiamsi haec Ecclesiae statuta ad solam fors disciplinam spectent, et idcirco pro diversis temporem indigentiis mutari possint; absit tamen, ut nos, qui locum inferiorem occupamus, illa vel carpenda, vel negligenda arbitremur. Vid. Trid. Sess. 7. can. 13., item Sess. 22. *).

2. Attamen plura dantur, quae in cultu praecipue privato neque a Christo neque ab Ecclesia exacte determinata fuerunt. Haec igitur ab unoquoque ita instituantur, ut se-

*) Et quae non timenda forent, si posthabitis sancitis Ecclesiae unusquisque suam tantum phantasiam, et proprii ingenii placita sequeretur! Praesertim nos sacerdotes solicitos esse oportet, ne ritibus praescriptis vel approbatis ab Ecclesia pro libitu nostro aliquid detrahamus, adjiciamusve. Sopitus religionis sensus per arbitrarias ejusmodi innovationes certe non excitatur, sed enecatur potius; id quod experientia abunde testatur. Nam nullibi major in obeundis sacris levitas invenitur, quam ubi ritibus publica auctoritate statutis per temerarios hominum novaturientium ausus novi substituti fuere.

cundum probatum morem sui temporis et loci, pietatem internam tum decenter manifestent, tum etiam in nobis aliisque foveant. Quare praeter cultum mere mechanicum caveatur quoque, quidquid vel vanam ostentationem, vel hypocrisin redolet, vel aliorum aut indignationem aut risum movet, generatim quidquid aliis officiis, atque solidae pietati adversatur *).

3. Porro cultus hujus obsequia in *ordinaria* et *extraordinaria* dispesci consueverunt. Inter ea, quae *ordinaria* dicuntur, cultus tum publicus, tum privatus occurrit; ad *extraordinaria* vero, quia de fidei professione jam alibi dictum est, *jusjurandum* et *votum* referimus.

A.

OFFICIA RELIGIONIS ORDINARIA.

Caput I.

De cultu divino generatim.

§. 200.

Notio orationis.

1. Cultus DEI praeprimis orationem complectitur. Est vero oratio generatim elevatio mentis ad DEUM, seu pia affectio animi DEO se impendentis. Quare essentia orationis non in exercitiis corporalibus, neque in dulci affectione sensuum aut phantasiae, sed in *elevatione mentis* consistit. Imo etiam functiones intellectus, e. g. meditatio de

*) Ast pari modo absit, ut coram hominibus religionis ac pietatis nostrae nos pudeat. Gal. 1, 10., Hebr. 11, 24. seq.

rebus divinis, eatenus solum oratio dici possunt, quatenus cum *devotione* junguntur *).

2. De oratione sic descripta jam sequentes positiones annecto:

a) Oratio inprimis efficacissimum, imo necessarium prorsus virtutis subsidium constituit. Quid enim mentem nostram tum ad peccati horrorem tum ad studium virtutis aeque disponit, ac repetita ejusdem elevatio ad DEUM et frequens familiarisque conversatio cum illo? „*Aut quis juxta copiosum ignem stans non parum caloris inde percipit? Et tu fons es semper plenus et superabundans, ignis jugiter ardens et nunquam deficiens.*“ De imit. l. 4. c. 4. Imo sine oratione animus noster non tantum tepescit ac terrenis desideriis diffluit, sed fons gratiarum magis magisque exsiccari solet, ita ut in tanta naturae corruptione nonnisi funestissima clades exspectari possit. „*Contra*,“ ut Oberrauch advertit, „*homo sedulae et constantis orationis vel nunquam corruit, vel in ipsam abyssum non sine omni evadendi spe ac conatu praecipitabitur.*“

b) Ast oratio non tantum qua necessarium virtutis medium, sed etiam *proxime ac immediate* ad nostra officia spectat; nam praeter reliquam vitae honestatem DEO etiam cultum immediatum et specialem debemus. Haec assertio plurimum firmabitur, ubi singulas orationis species lustraturi sumus. Quantopere autem divina Scriptura et constans Ecclesiae traditio multam orationem urgeant, neminem certe latere potest, qui in

*) Devotionem S. Thomas definit, esse promtam voluntatem se tradendi ad ea, quae pertinent ad DEI famulatum. 2. 2. Q. 82. art. 1. Apud Romanos *devotus* dicebatur cliens domino suo vere addictus. Caesar. de bell. gall. c. 22.

libris sacris atque in Patrologia peregrinus non est. Praeter plurimos textus in utroque Test. illustrissima quoque exempla referuntur, inter quae in immensum eminet exemplum ipsius Redemtoris, qui frequenter in oratione etiam pernoctasse legitur. Quam frequentes et assidui tum Apostoli tum primi fideles in oratione fuerint, pariter tum ex ipso divino volumine tum ex aliis relationibus fide dignis constat.

c) Tandem prout oratio ad praecipua hominis christiani officia pertinet, ita etiam inexplicabilis inde suavitas et deliciae vere coelestes in nos redundare solent, quippe qui per hanc ipsam mentis elevationem bono infinito inhaeremus. Unde sanctus vates asseverat: *„Quia melior est dies una in atriis tuis super millia. Elegi abjectus esse in domo DEI mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.“* Ps. 83. Et S. Jacobus monet: *„Tristatur aliquis vestrum? Oret. Aequo animo est? Psallat.“* Jac. 5, 13. Quare toto coelo aberrant, qui sibi imaginantur, per studium orationis animum defatigari, atque acerbum et insipidum reddi. Potius verus DEI cultor nunquam ad persolvenda humanitatis officia atque ad faciendam omnem justitiam paratior et alacrior esse solet, quam dum ab oratione atque a familiari cum DEO conversatione ad illa revertitur *).

§. 201.

De oratione vocali.

1. Prae reliquis signis *verba* nobis ad exprimendam devotionem inserviunt. Equidem DEUS corda nostra et renes scrutatur; unde opus non est, ut verbis utamur et vocibus. Quare etiam nos frequenter suspirium illud Pro-

*) Cf. J. M. Sailers Moral. 2. Bd. §. 199.

phetae usurpamus: „*Domine! ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus.*“ Ps. 37, 10. Hoc tamen non obstat, quo minus oratio vocalis commendari mereatur. Ut enim de exemplo Redemtoris Apostolorumque taceam, jam ipsa natura nos ita instituit; utpote qui sic comparati sumus, ut ea, quae clare vivaciterque cogitamus aut persentiscismus, sub certos verborum conceptus redigamus, atque ut mens nostra per expressiones rite selectas de novo ad pietatem accendatur. Quis e.g. orationem dominicam attente recitare potest, quin menti suae per singula illius verba novos quasi igniculos subjectos sentiat? Omnium minime oratio vocalis cultui communi et publico deesse potest.

2. Cum autem verba verborumque formulae nonnisi aptae piorum affectuum expressiones, et simul eorundem fomenta esse debeant, satis elucescit, qualiter oratio vocalis persolvenda sit, ita nimirum, ut per vivam animi devotionem verba singula quasi animentur. Verum tanta est infirmitas nostra, ut, quamvis ad orandum nobis accincti videamur, facile tamen nos turbari et ad cogitationes alienas evagari contingat. Multo magis ejusmodi distractiones ingruunt, ubi minus dispositi, attamen per circumstantias orare coacti sumus. Quid ergo de oratione taliter distracta censendum erit? Hanc in rem meminisse juvat, quae de essentia orationis dixi. Scilicet oratio vere talis non in *functione intellectus*, sed in sola *devotione mentis* consistit, qua nosmet ipsos DEO impendere, ipsique pietatem nostram testari volumus. Equidem reverentia DEO exhibenda summopere instat, ut ad verba, quae proferimus, etiam mens nostra attendat; attamen ea imbecillitate sumus, ut cogitatus nostri vel citra omnem culpam nostram, vel certe culpa facile ignoscenda ob meram fragilitatem dilabantur. Ex quibus, ni fallor, sequentia corollaria resultant:

a) Qui citra omnem suam culpam distractus orat, per tales evagationes nihil de sua devotione deperdit, utpote qui inter omnes imaginationis turbas, quas nolens patitur, mentem sincere devotam fovet, DEOque pietatis suae tributum omni meliori modo deferre satagit. Imo talis oratio inter distractiones prorsus involuntarias protracta *in meritum* longe majus imputanda videtur, quam quae afflante Numinis aura, et proinde multa cum facilitate peragitur.

b) Qui vero sub oratione culpabiliter evagantur, pro ratione hujus culpae DEO equidem aliquod genus irreverentiae inferunt, et eatenus certe deficiunt. Si tamen hae distractiones non ex *perversa voluntate,* sed ex *sola hominum fragilitate* descendant, neque talis precatio omni effectu frustrabitur. Homines enim ceteroquin bonae indolis, dum culpabiliter quidem, attamen ob meram infirmitatem distractiones admittunt, saltem *aliquam mentis devotionem* quae virtualis dicitur, ostendunt. Quamvis ergo DEUM non satis honorent, majorem tamen pietatem testantur, quam qui ab oratione penitus cessant. Generatim verum non est, quod aliqui asserunt, nempe *melius esse non orare, quam orare cum voluntariis distractionibus.* Praeterquam enim quod ejusmodi infirmi aliqualem saltem pietatem prodant, etiam sensus religionis per frequentes preces, utut distracte persolvantur, multo tamen magis fovetur, quam ubi oratio omnis in desuetudinem abiit; id quod viri in cura animarum experti absque haesitatione fatentur. Quam ob rem pessime agunt, qui piorum preces, quas non intelligunt, vel prae humana fragilitate admodum distracte recitare solent, tamquam inania devotionis simulacra explodunt. Ejusmodi simplices, ast simul pii homines, dum e. g. in recitando

rosario bona et religiosa cum intentione verba pronuntiant, coram DEO, qui etiam dona minutissima non dedignatur, certe non perdent mercedem suam.

c) Qui demum, dum oretenus precari videntur, *voluntate omnino perversa* longe alia cogitant, id est, qui se tantummodo orantes fingunt, reipsa autem sub specie pietatis fines indignos aut perversos intendunt, horum utique oratio abominabilis est coram Domino, et pars eorum cum hypocritis erit. De his demum exprobratio illa obtinet: „*Hic populus labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.*" Matth. 15, 8.

3. Ne vero, dum oramus, mens nostra tam facile dilabatur, illam tum ad orandum praevie disponere, tum forte evagantem iterato et tranquille recolligere oportet. Pari modo, quantum fieri potest, tempus et locus atque totius corporis compositio ita instituenda sunt, ut devotio nostra exinde non turbetur, sed foveatur potius. Generatim vero semper ad DEUM ex *corde nostro* precari studeamus, ut nempe cum viva DEI praesentis recordatione indigentias et vota nostra ita ad illum dirigamus, prout cum optimo parente, amico, medico etc. de illis acturi essemus. Neque per hanc ex corde precandi methodum pias formulas vel libros hunc in finem adaptatos excludimus; dummodo ejusmodi formulas rite seligere, atque affectui nostro attemperare sciamus, devotio nostra exinde multum proficiet. Praesertim homines minus culti per libros formulasque vere pias et captui suo convenientes multum juvantur. Quid enim tales, praesertim juniores, sub divino officio meditari solent, nisi liber aliquis illorum tum oculos tum cogitationes religiose occupatas teneat, atque animum sursum evehat? Unde pastor suis insigniter plane consulit, dum in communitate libros divulgat religioso spiritu repletos et solidam pietatem stillantes. Equidem etiam in hac parte

abusus dantur, dum aliqui formulas in libro suo contentas mechanice tantum deblaterant, atque per talem recitationem totum negotium confectum arbitrantur. Ast exinde aliud non sequitur, quam ad pastorale munus pertinere, ut populus christianus, et praecipue juventus etiam circa justum usum librorum formularumque rite instruatur.

§. 202.

De adoratione et gratiarum actione.

1. Nunc ad praecipuas orationis species descendamus, quas inter *adoratio* eminet, seu contestatio excellentiae divinae cum plena et omnimoda subjectione nostri. Unde adoratio sic descripta absque nota idololatriae nemini, nisi soli DEO exhiberi potest.

Attamen ex more orientalium et ex ipso usu bibliorum adoratio etiam in *sensu latiori* accipitur, nempe ceu qualiscunque professio excellentiae vel potestatis aliorum, atque contestatio subjectionis nostrae; quo in sensu e. g. Abraham populum terrae, filios videlicet Heth adorasse dicitur. Gen. 23, 7.

2. Prout vero DEUM ceu bonum summum et absolutum revereri oportet, ita quoque justissimum est, ut hosce sensus reverentiae et admirationis omni modo manifestemus, seu ut mens nostra in laudes ac summam Divinitatis admirationem prorumpat, quarum quidem laudum, prout etiam reliquorum piissimorum affectuum exempla praesertim in Psalmis vere divina extant.

„*Sed nonne indignum est DEUM talem sibi effingere, qui laudibus nostris quasi demulceri velit? Si hominem contemnendum ducimus, qui laudis cupidus est, quanto magis DEUS id dedecet?*" Verum inprimis longe absumus, ut credamus, DEUM per laudes nostras *demulceri* posse, ita ut harum intuitu peccatis nostris conniveat. Scriptura ipsa

contra hoc superstitionis commentum protestatur: „*Peccatori autem dixit DEUS: Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos retrorsum. Arguam te, et statuam contra faciem tuam. Intelligite haec, qui obliviscimini DEUM etc.*“ Ps. 49, 16. etc. Quod vero DEUS, ut ibidem dibitur, per *sacrificium laudis* honorandus sit, jam ipsa ratio evincit, quippe quae severam illam exactionem aeternae justitiae percipit, cuique suum praestandum esse. Neque DEUM inter et hominem paritas datur. Hominem utique dedecet aliorum laudes quaerere, tum quia, quidquid agimus, propter DEUM fieri debet, ita ut consilia nostra nunquam in nosmet ipsos, sed semper in DEUM desinant; tum vero quia DEUS solus omnium bonorum primus et ultimus fons est, ut adeo non nobis, sed DEO soli gloria deferenda sit. Verum ex his ipsis patet, DEO indignum non esse, ut debitum honorem atque honoris hujus exhibitionem a nobis deposcat.

3. Dum tempus elapsum attendimus, ex parte DEI innumera beneficia occurrunt, quibus gratum animum rependere tenemur; ex parte nostra vero non minor nobis numerus offensionum obversatur, quas deprecari oportet. Et quidem quod gratiarum actionem spectat, ea tum a divinis literis tum ab ipsa ratione inter praecipua nostra officia refertur. Quocunque oculos nostros conjicimus, et quidquid reliquis sensibus usurpamus, immensa ubique divinae benignitatis specimina experimur, quae gratum a nobis animum efflagitant. Praecipue tamen de illis beneficiis id obtinet, quae per novam salutis oeconomiam in nos collata fuerunt; ne et nos dura illa objurgatio feriat: „*Haeccine reddis Domino, popule stulte et insipiens? Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit et creavit te?*“ Deut. 32, 6. *).

*) Cf. G. Riegler 2. Bd. §. 260.

4. Non minus deprecatio offensionum necessariam devotionis partem constituit, ad quam praestandam in sacris paginis non tantum identidem provocamur, sed pulcherrima etiam exempla nobis proponuntur praesertim in Psalmis, quos poenitentiales dicunt.

§. 203.

Petitio bonorum.

1. Si tandem tempus praesens et futurum spectamus, ob innumeras tum nostras tum aliorum necessitates compellimur bona, quibus indigemus, a DEO fiducialiter efflagitare. Hoc orandi genus, praeterquam quod in sacris literis saepissime commendetur, ab omni retroacta aetate tam frequentis usus fuit, ut nomine orationis solae fere petitiones intelligerentur. Definitur vero, esse petitionem certi cujusdam boni firmae erga DEUM fiduciae innixam.

2. Quamvis haec materia ex se plana et facillima sit, ab aliquibus tamen pseudophilosophis praesertim nostro aevo tantis tenebris obvoluta fuit, ut expositione nonnihil ampliori indigeat. Quare in antecessum sequentes assertiones statuo:

a) Petitio ad DEUM directa est inprimis *plena solatii.* Tot enim ad corporis animique salutem bonis et commodis destituimur, ut, nisi ad DEUM confugiamus, cor nostrum nullibi respirare queat. Vel quis alius tot vulneribus infirmitatibusque mentis nostrae mederi, res nostras apte disponere, vel mala ingruentia arcere, et praesertim quis alius praeter solum DEUM sortem in aeternitate nobis impendentem in tuto collocare potest? Idem de indigentiis aliorum obtinet. Spectamus fratres nostros diversis infortuniis jactatos, et non raro cum extremis angustiis colluctantes, atque quam prona nobis est opitulandi voluntas, tam curtae nobis

plerumque vires suppetunt. Ast quanta solatii scaturigo nobis aperitur, quando per fiducialem orationem ad optimum Patrem recurrimus, ipsique, quem infinite benignum ac omnipotentem scimus, nostras aliorumque necessitates filiali cum affectu commendamus!

b) Eadem DEUM petendi praxis est simul utilissima, et jam ex sua indole exercitium pulcherrimarum virtutum involvit. Dum enim propriae infirmitatis indignitatisque conscii supplices ad DEUM confugimus, hoc ipso *humilitatem* exercemus, quippe qui nos non tantum inopes, sed etiam tales fatemur, qui a DEO nihil exigere, sed omnia nonnisi supplicare debeamus. Non minus *fidem et fiduciam* nostram erga DEUM testamur. Tum vero, siquidem rite precamur, actum debitae *resignationis* edimus exemplo Christi inhaerentes, cum diceret: „*Attamen non sicut ego volo, sed sicut tu!*“ Matth. 26, 39. Porro ubi preces nostrae audiuntur, mens ad tenerrimos affectus gratitudinis disponitur, atque in eo, quod alias fortuito casu nobis obtigisse opinaremur, singulare DEI donum suspicimus; vel etiamsi preces nostrae desiderato effectu careant, saltem cor afflictum multum exinde relevari solet, dum nempe per fervidam orationem aerumnas nostras DEO fiducialiter exposuimus. Praecipue tamen haec orandi consuetudo id utilitatis affert, ut tum DEI tum nostrae dependentiae ab ipso semper memores perstemus. Quam raro plerique DEI sui recordarentur, nisi per quotidianas necessitates suas ipsum identidem adire coacti forent! Quanti momenti vero frequens iste ad DEUM recursus et familiaris ejusdem allocutio sit, utique neminem latere potest, et in Ascesi fusius exponetur.

c) Ex his ipsis patet, hoc orandi genus nihil continere,

quod DEUM dedeceat. Sane, praeterquam quod tantum solatii ac utilitatis exinde in nos redundet, per ipsam orandi consuetudinem DEUM tamquam primum omnium bonorum fontem et absolutum totius universitatis Dominum, atque talem profitemur, qui, etiamsi nemini aliquid debeat, in omnes tamen infinite benignus et misericors esse consueverit. Unde oratio cum odorifero thymiamate comparatur: *„Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.“* Ps. 49, 15.

3. Absit ergo, ut hanc orationis speciem vel divinis attributis vel rationi nostrae contrariam dicamus. Et numquid non etiam universalis populorum consensus illam commendat? Certe ubivis gentium, etiamsi divinitates fictitiae colerentur, communis tamen opinio viguit, illas tum ad felicem rerum successum, tum ad propulsanda mala invocandas esse. Imo ad id ipsum sensus intimus, et ut ita dicam, ipsius naturae stimulus impellit. Hinc non pauca exempla extant, illos ipsos, qui, dum omnia ex eorum votis agebantur, orationi irridebant, mutata fortuna prae reliquis supplices extitisse. Quodsi de divina revelatione quaeritur, praeter innumeros textus, qui in utroque Test. ad pias petitiones hortantur, ipse novi Foederis genius hanc orationis speciem inculcat, utpote qui DEUM tamquam *Patrem nostrum* nosque ceu ejusdem filios exhibet. Jam vero quid huic filiali conditioni magis proprium, quam ut in omni necessitate ad hunc T. O. Patrem fiducialiter recurramus? Unde tum Christus tum Apostoli data quavis occasione ad petendum nos provocant, et praeter exemplum suum divinus Redemtor nobis formulam precandi vere divinam dedit. Res plusquam superflua foret ostendere, quid apostolica traditio, quidque continuus Ecclesiae sensus habeat.

§. 204.

Respondetur ad objectiones.

1. Ast quamvis res prorsus eliquata videatur, plura tamen contra illam moveri solent. Inprimis itaque dicunt: „*DEUS optimus pro infinita sua sapientia utique immutabilem rerum ordinem statuit; nonne ergo vesanum est credere, quod propter suspiria et lamenta nostra ordinem stabilitum turbaturus sit?*“ Sed respondeo: Praeterquam quod DEO neque aliquid *praeteritum* neque *futurum*, sed omnia semper praesentia sint, DEUS absque dubio, ut minus exacte loquar, etiam preces nostras jam ab aeterno praevidit, easque, prout res reliquas, ordini praestabilito inseruit. Unde, dum preces nostras exaudit, ordinem statutum haud mutat, sed id tantum exequitur, quod ab aeterno decreverat.

2. „*Sed nonne DEUM benignissimum dedecet, dum asseritur, ipsum bona sua nonnisi petentibus elargiri, ita ut adinstar tetrici hominis precibus nostris et blanditiis ad benefaciendum permoveri debeat?*“ Verum *a)* nemo asserit, DEUM bona sua universim nonnisi petentibus concedere. Ipse etenim quotidie manum suam aperit, et replet omne animal benedictione sua; vel ut Christus asseverat, „*ipse solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.*“ Matth. 5, 45. *b)* Deinde, si DEUS rerum ordinem ita disposuit, ut bona plurima nonnisi petentibus obtingant, ex hac ipsa dispositione infinita ipsius sapientia et benignitas resplendet, utpote ex qua tot ac tanta commoda in nos redundant, ut §. 203. vidimus. Numquid etiam parentes illos tetricae indolis accusabimus, qui, ut proles suas sibi arctius connectant, ab iisdem rogari expetunt? Ast quid fieret, si filiis suis etiam non rogantibus semper et in omnibus pro-

viderent? Certe hac ratione intima parentes inter et filios connexio plurimum vigoris amitteret; filii subjectionis et dependentiae suae mox obliviscerentur, ea, quae absque praevia petitione recipere consuevissent, jure sibi deberi autumarent, atque sic tum pensum justae gratitudinis tum justum rerum concessarum usum facile negligerent. Quare in societate domestica ipse paternus amor exigit, ut filii bona, quibus indigent, exorare studeant. Quanto magis autem haec orandi necessitas in relatione nostra ad DEUM obtinet, utpote quem non videmus, sed cujus paternum affectum fere ex solis ipsius beneficiis experimur?

3. „*Attamen ad quid demum petitiones nostrae? Numquid ut DEUM de indigentiis nostris certiorem faciamus? An ut ipsum ad misericordiam inflectamus ope precum et obsecrationum nostrarum? Ast utrumque Evangelio non minus, quam sanae rationi adversatur.*“ Sed responsio est facilis. Scilicet ipsi inter nos scholares didicerunt, DEUM et omniscium et infinite benignum esse, ut adeo a nobis neque instrui neque ad commiserationem permoveri possit. Ideo erga non oramus. Sed causa nos ad petendum impellens est, quia scimus, DEUM pro infinita sua sapientia hunc ordinem disposuisse, ut *a nobis exorari velit*, utque *plurima bona solis petentibus concedantur.*

§. 205.

Effectus precum nostrarum.

1. Si hucusque dicta rite expenduntur, etiam effectum precum nostrarum facile vindicabimus. Quaeritur nempe, utrum preces nostrae ex divina dispositione revera *necessariam conditionem* constituant, ut divina beneficia percipiamus, ita ut, ubi haec conditio desideratur, etiam dona coelestia denegentur nobis. Atqui, etiamsi ratio sola de

positivis DEI consiliis nihil per omnia certi teneat, ipsa tamen philosophia de hac DEI dispositione vix dubitare potest; nam, ut §. 203. ostensum fuit, talis DEI dispositio indigentiis hominum apprime convenit, et pulcherrimis insuper virtutibus ansam praebet. Et praesertim unusquisque hominum *ex sensu intimo* ad precandum suis in necessitatibus urgetur, ita ut DEUS ipse hunc orandi stimulum nobis indidisse videatur. Quis ergo ita inverecundus erit, ut asserat, DEUM omnibus nobis illudere voluisse, eoquod nobis impulsum vel stimulum dederit, qui tamen frustraneus prorsus et cassus existat?

2. Attamen multo disertius, et plane invicta cum certitudine revelatio divina pro causa nostra perorat. Haec enim apertissime docet, ex DEI dispositione preces nostras necessariam conditionem esse, ita ut petentes accepturi, non petentes vero vacui relinquendi sint. Ex innumeris testimoniis pauca tantum adduco: „*Petite et dabitur vobis; quaerite et invenietis; pulsate et aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit, et qui quaerit, invenit, et pulsanti aperietur etc.*“ Matth. 7, 7. etc. „*Omnia, quaecunque petieritis in oratione credentes, accipietis.*“ Matth. 21, 22. „*Propterea dico vobis, omnia, quaecunque orantes petitis, credite, quia accipietis et evenient vobis.*“ Marc. 11, 24. „*Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a DEO, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei.*“ Jac. 1, 5. Et ne quis existimet, haec bona etiam sine precibus rite persolutis nobis obventura fuisse, idem Apostolus pergit: „*Postulet autem in fide, nihil haesitans; qui enim haesitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur. Non ergo existimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino.*“ Jac. 1, 6.

Ast cur preces nostrae toties non exaudiuntur, quamvis divinae literae effectum illis certissimum spondeant? Ad hanc quaestionem S. Jacobus respondet: *„Petitis et non accipitis, eo quod male petatis.“* Jac. 4, 3. Ast quando rite petimus, semper exaudimur; saepe tamen in ordine alio, dum nempe bonum aliquod majus nobis conceditur.

§. 206.

Dotes precum nostrarum.

1. Praeter illas dotes, quae ad orationem generatim requiruntur, quaeque ex hucusque dictis sufficienter patent, piae petitiones quaedam adhuc sibi specialia habent, quae divus Jacobus universim sub *fide* vel fiducia complectitur, dicens: *„Postulet autem in fide, nihil haesitans.“* Jac. 1, 6. Revera preces nostrae aliud non sunt, quam viva exhibitio spei, seu firmae erga DEUM fiduciae. Unde eaedem dotes, quas §. 183. et seq. ad legitimam spem necessarias esse diximus, etiam ad rite dispositas preces exiguntur. Ne igitur ibidem dicta repetamus, ea paucis tantum indigitare libet.

2. Itaque prout christianae spei, ita et orationis prima conditio est, ut sit *sancta,* seu ut illa tantum a DEO petamus, quae tum generatim tum pro singulari indole nostra vere bona dici merentur. Quod igitur aeternam DEI fruitionem, et media hunc in finem prorsus *necessaria* spectat, haec absque omni adjecta conditione et absolute deposcere licet; quantum vero ad bona temporalia nunquam oblivisci oportet, quae §. 183. de sensu coelestibus intento, atque de plena resignatione in voluntatem divinam notata fuerunt.

Atque ex hoc capite nonnulli piam fidelium plebem peracerbe carpunt, utpote quae, ut inquiunt, semper nonnisi terrena petit, atque hisce precibus omissa justa resignatione pertinaciter insistit. Et sane, ubi tale quid contingit, populus

de sensu suo terrestri redargui meretur; ast qui populum christianum saltem nostris in partibus penitius novit, facile concedet, generatim verum non esse, homines plebejos nonnisi bona temporalia a DEO petere. Praesertim ubi fervens animarum pastor frequentem usum Sacramentorum et vivum religionis sensum fovere studet, charismata meliora nullatenus negliguntur. Deinde perseverantia, qua bona hujus temporis efflagitantur, non semper defectum justae resignationis manifestat, sed saepissime cum mira animi submissione conjungitur. Et quis adeo inhumanus erit, ut bonis ruricolis studium istud, quo arvis et pecoribus suis divinam benedictionem implorant, vitio vertat? Scilicet homines, qui certas suas et annuas pensiones habent, utique aëris intemperiem sat quiete spectare possunt; quid vero misellus paterfamilias, qui non tantum sibi suisque necessarium victum parare, sed insuper etiam importunis creditoribus satisfacere et tributa pendere cogitur, quid, inquam, talis sentiet, ubi vel lues aliqua, vel saeva tempestas omnem ejus substantiam subvertere minitatur?

3. Verum annon multo perfectius agerent homines, si regno divino unice intenti res temporales absque omni petitione DEO plene committerent? Ita Mutschelle. Sed quidquid de hoc, ut dicitur, fiduciae culmine jactetur, talis tamen precum neglectus modernae DEI providentiae aperte repugnat. Postquam enim DEUS T. O. plurima dona sua ad preces nostras, tamquam ad praeviam conditionem restrinxit, utique, prout reliquas conditiones, e. g. labores et conatus nostros, ita etiam preces expetit. Qui ergo orare neglexit, dicere haud potest, se omnia fecisse, quae suarum partium erant. Revera homines solide pii ita ratiocinari solent. Ubi post adhibitas preces gravi infortunio afflictantur, „*saltem*,“ inquiunt, „*nos nihil eorum, quae per nos steterunt, omisimus; cum igitur DEUS nihilo secius ita disposuerit, sit nomen ejus benedictum.*“ Ubi vero preces et obsecrationes neglectae sunt, tum ejusmodi

miseri casus adversos, quibus opprimuntur, sibimet ipsis tribuunt, atque a religione vix aliquid solatii recipiunt. Insuper, prout jam supra adverti, ipsa fiducialis precatio ad DEUM cor afflictum valde relevare solet. Si enim ex alloquio amici, cui calamitates nostras exponimus, magnopere recreamur, quanto magis, dum angustias nostras filiali affectu coram DEO profitemur? Denique haec assertio, hujus temporis indigentias expetendas non esse, sensui religionis et morum honestati nimium quantum detrahit. Praeterquam enim quod etiam hae petitiones exercitium pulcherrimarum virtutum involvant, prae reliquis necessitates temporales hominem compellunt, ut DEUM suum indies accedat revereaturque. Unde tum Christus ipse nos instituit, ut praeter reliqua dona etiam quotidianum *panem* exoremus, tum etiam Apostoli ad ejusmodi preces hortantur. Quid continua praxis Ecclesiae hac super re habeat, ex vetustissimis liturgiis patet.

§. 207.

Reliquae precationis dotes.

1. Prout spei, ita etiam precum nostrarum altera conditio est, ut ultimo omnia a DEO et per JESUM Christum petamus, proxime vero nihil eorum negligamus, quae ex nobis pendent. §. 184. Ex quibus patet, *quanta cum humilitate* nos orare oporteat; quippe qui DEUM solum ceu supremum omnium bonorum fontem suspicimus, nosque non tantum inopes et sub omni ratione dependentes, sed etiam indignos et peccatores fatemur, ita ut nonnisi per divinum Mediatorem spes nobis supersit. Hanc in orando humilitatem etiam divina revelatio vehementer urget. „*Quia DEUS superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliamini igitur sub potenti manu DEI, ut vos exaltet in tempore visitationis.*“ I. Pet. 5, 5. etc. Atque hosce

animi demissi sensus certe etiam congruo et decenti modo manifestare oportet, id quod Christus inter alia per exemplum publicani docet, qui *„a longe stans nolebat nec oculos ad coelum levare, sed percutiebat pectus suum dicens: DEUS propitius esto mihi peccatori.“* Luc. 18, 13.

2. Attamen prout ad legitimam spem, ita quoque ad rite ordinatas preces requiritur, ut vires et facultates nostras exserere, media nobis concessa adhibere, et conditiones requisitas exequi satagamus. Has inter conditiones praecipue eminet, ut erga alios tales nos exhibeamus, qualem optamus, ut DEUS se nobis exhibeat, adeoque ut iis, qui nos offenderunt, sincere ignoscamus, atque tam amicos quam inimicos nostros affectu charitatis vero fraternae complectamur. *„Qui enim obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur.“* Prov. 21, 13. Praesertim novum Test. saepe ac diserte admodum de divina hac talione loquitur. *„Date, et dabitur vobis; mensuram bonam et confertam et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.“* Luc. 6, 38. Et quoties omnis spes veniae illis praeciditur, qui ipsimet adversariis suis ignoscere detrectant? *„Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis et Pater vester coelestis delicta vestra; si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.“* Matth. 6, 14. Praesertim parabola de servo illo huc spectat, qui ob suam erga conservum duritiem tortoribus traditur adjecta sententia: *„Sic et Pater meus coelestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.“* Matth. 18, 24. etc.

Exinde nova orationis utilitas nascitur. Ecce enim DEUS, tantus cum sit, talem tamen se nobis futurum spondet, quales

nos ipsi erga alios fuerimus. Quid ad extirpandas quascunque hominum inimicitias atque ad promovendam charitatem fraternam efficacius esse potest, quam haec toties repetita Christi assertio?

3. Denique *firma et invicta cum fiducia* orandum est, ita ut absque omni haesitatione exspectemus, vel id, quod petimus, vel aliquid melius a DEO nobis concessum iri. Praesertim divinae literae nos enixe hortantur, ut in oratione perseveremus, ita ut, quamvis preces nostrae hucusque cassae videantur, nostra tamen fiducia inconcussa maneat. Praeter exemplum mulieris Syrophoenissae Marc. 7, 24. etc., parabola de iniquo judice huc facit Luc. 18, 2. etc., prout et illa, quae Luc. 11, 5. et seq. refertur. „*Et si ille perseveraverit pulsans, dico vobis, . . . dabit illi, quotquot habet necessarios. Et ego dico vobis: Petite et accipietis etc.*“ Quare etiamsi DEUS bona expetita fors differat, nihil tamen solliciti simus; aut enim, quod efflagitamus, concedet, atque moram seu dilationem multo fenore compensabit, aut aliud quidpiam elargietur, quod ad ultimum finem nostrum multo magis confert.

§. 208.

Intercessio pro aliis.

1. Specialem mentionem intercessio pro aliis meretur, utpote quae necessariam fraterni amoris partem constituit. Hunc in finem, ut alios novi Test. textus sileam, Apostolus scribit: „*Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt; hoc enim bonum et acceptum est coram Salvatore nostro DEO, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.*“ I. Tim. 2, 1. etc. Idem Apostolus in omnibus fere scriptis suis

tum semet piis fidelium precibus commendat, tum mutuam illis vicem pollicetur. Prae reliquis tamen in immensum eminet exemplum ipsius Christi, qui mortem jamjam oppetiturus inter alia precabatur: „*Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.*“ Joann. 17, 20. etc. Insuper officium pro aliis intercedendi ex ipsa ratione depromitur; tenemur enim alios diligere sicut nos ipsos; prout ergo pro semet ipso orare oportet, ita etiam pro aliis. Imo quantus eorum est numerus, quibus alio modo opem ferre haud possumus, nisi per solam orationem? Et profecto quam insigniter relationem nostram tum ad DEUM tum ad nos invicem testatam facimus, dum ceu filii ejusdem familiae ad DEUM communem Patrem nostrum pro nobis invicem obsecramus! Talis supplicatio praeter alia emolumenta jam ex indole sua charitatem mutuam et involvit et provehit, estque rori coelesti non absimilis, quo officia humanitatis, ne flaccescant, irrigari debent.

2. Porro quia DEUS ipse praecipit, ut oremus pro nobis invicem, dubitari nequit, quin haec intercessio etiam effectum habitura sit. Quodsi vero illi, pro quibus preces fundimus, ob perdurantem animi perversitatem supernorum charismatum *capaces* non sunt, pax, quam illi repudiant, multipliciter ad nos revertetur. Luc. 10, 5. etc. Idem obtinet, si, quod petimus, sub quacunque ratione ipsis non est proficuum.

§. 209.

Quantum nos orare oporteat.

1. Orationem non parcam, sed frequentem requiri jam ex iis patet, quae §. 200. occurrunt. Et sane divinae paginae disertius loquuntur, quam ut res in dubium vocari

queat. „*Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promtus est, caro autem infirma.*“ Matth. 26, 41. etc. Et prout Luc. 18, 1. legimus, divinus Redemtor „*dicebat parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare, et non deficere.*“ Idem tum ab exemplis tum ex scriptis Apostolorum constat, prout nullus inficiabitur, qui novum Test. vel obiter perlustravit.

2. Verum quae denique *mensura* justae orationis statuenda videtur, seu quantum praecise temporis unusquisque piis exercitiis impendere debebit, ut officio huic plene satisfaciat? Si de consilio, vel de *bono perfectiori* quaeritur, responsio est facillima, scilicet: Quo plus temporis absque officiorum reliquorum laesione orationi impenderis, eo melius facies. Verum dum de *stricto praecepto* agitur, haec orationis mensura non tantum in diversis diversa datur, sed prout suspicor, ne in singulis quidem usque ad ultimum apicem definiri potest. Nam generatim limes, qui consilia a praeceptis secernit, tam exacte determinari plerumque nequit; tum vero, etiamsi DEO cultus aliquis immediatus debeatur, verissimum tamen est, omnia officia rite persoluta ultimo in amorem DEI desinere. Quare, cui ex certa DEI voluntate multae aliae occupationes incumbunt, talis ex hoc capite ad tam copiosum pietatis pensum certe non obstringitur, prout ille, qui pene otiosus degit. Hinc si quis praecise definitam aliquam mensuram exquirat, oratio sub duplici ratione consideranda videtur, nempe *a)* qua immediatum pensum cultus divini, et *b)* tamquam necessarium virtutis subsidium. Sub prima ratione aliam regulam scribere vix ausim, nisi ut dispiciatur, quid tum praeceptum tum praxis Ecclesiae habeat, quidque homines prudentes ac solide pii communiter sentiant. Dum vero oratio tamquam necessarium virtutis subsidium consideratur, absque dubio unusquisque ad tantam illius portionem

tenetur, ut fidei, spei charitatisque habitus in ejusdem animo non deficiat.

3. Quodsi has duas regulas rite expendimus, fors nemine contradicente sequentia statuere licebit:

a) Inprimis tenemur ad dies festos, seu per legitimam Ecclesiae auctoritatem sacratos cultui divino impendendos.

b) Deinde diebus etiam non festis saltem aliquid orationi tribuendum erit.

c) Tandem in omni vivendi conditione quaedam rerum momenta occurrunt, quae unumquemque ad exercitia pietatis singulariter provocant.

4. De justa celebratione dierum festorum infra dicetur. Quod vero diebus etiam non festis aliquid saltem orationi deferendum sit, id, ni fallor, vix aliquis negabit. Cum enim quaevis dies non tantum plurimis DEI beneficiis abundet, sed etiam notabilem vitae praesentis particulam constituat, quis adeo desipiet, ut immediato DEI cultui nihil ex illa impendendum esse arbitretur? Praeterea omni die novae nobis pugnae imminent, quas nemo absque divinae gratiae subsidio feliciter sustinere potest; hanc igitur gratiam aeque ac panem quotidianum in singulos etiam dies efflagitare decet.

His pietatis exercitiis per singulos dies recurrentibus praecipue tempus matutinum et vespertinum adaptatur. Et quaeso, quale judicium de illis ferendum est, qui more pecudum mane de strato surgunt, illudque repetunt die finita, quin DEI suaeque relationis ad illum recordentur? Qui demum bonorum operum fructus ex terra tam inculta et inaquosa exspectari possunt? Quare isthaec exercitia neutiquam flocci facienda sunt; sed potius in cura animarum constituti regnum DEI insigniter promovebimus, quotidianas has preces omni modo commendando ac pios fideles simul instruendo, qua ratione dictae devotiunculae peragi debeant, ut multum pro-

ficuae reddantur. Insuper quam maxime inculcari merentur *preces jaculatoriae*, seu piae affectiones per diem et inter ipsa profana negotia saepius repetitae. S. Franc. Salesius illas non tantum utilissimum, sed prorsus necessarium christianae perfectionis subsidium vocat. Hoc precandi genus est insuper facillimum, quia nullo negotio praepeditur, nullum impedit, sed potius omnia magis expedita reddit. Denique ejusmodi piis suspiriis prout major frequentia, ita et intensior fervor esse solet.

5. Praeterea in rerum terrenarum cursu quaedam momenta dantur, quae nos singulariter ad pietatem exstimulant. Hujusmodi praesertim sunt, dum grave aliquod negotium ordimur, item dum specialem DEI favorem, vel munificentiam experti sumus, dum graviter tentamur etc.

§. 210.

De horis canonicis.

1. Etiamsi omnes omnino ad orationem multam teneantur, hoc tamen officium prae reliquis clericos et sacerdotes attinet, utpote quorum pars et haereditas DEUS est, quique de abundantia spiritus religiosi, quo ipsos imbutos esse oportet, etiam in subjectum populum dispensare debent.

„*Sacerdos DEO totus consecratus, et insuper eo destinatus est, ut plurimis aliis de spiritu suo tribuat; quod facere non poterit, si vix tantum habeat, quantum sibi sufficere possit. Pronum est ominari, populum christianum ex eo tantopere frigescere, quod parum ignis a nobis sacerdotibus accipiat. Dici enim vix potest, quantum ad emendandam totam communitatem unicus sacerdos egregius, veroque spiritu satis imbutus conferat. Praeterea majoribus periculis expositi, majori robore ac proin copiosiore oratione indigent. Nostra vero aetate ab exemplis, falsis doctrinis ac pestiferis libris periculum longe maximum urget etc.*“ Herc. Oberrauch Tom. V. pag. 84.

2. Quapropter tum Patres tum Concilia, tum omnium aevorum Pontifices et Episcopi nihil intentatum reliquerunt, ut hunc orationis fervorem in viris ecclesiasticis omni modo proveherent. Imo ipsa dierum per hebdomadem recurrentium denominatio hanc Ecclesiae intentionem exprimit, dum scilicet pro clero omnes *dies feriae* nuncupantur, non quasi nobis *otiari* permittatur, sed ut a curis temporalibus liberi et expediti nos totos divino servitio atque fratrum nostrorum saluti impendamus, juxta illud Apostoli: „*Labora sicut bonus miles Christi JESU; nemo militans DEO implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat, cui se probavit.*“ II. Tim. 2, 3. etc. Hunc in finem non tantum quotidiana oblatio incruenti sacrificii dirigitur, ubi sacerdos una cum divino Mediatore quotidie etiam semet ipsum DEO de novo consecrare debet, sed Ecclesia insuper alias adhuc pietatis exercitationes praescribit, quas inter praecipue horae canonicae eminent. Ad theologiam moralem haud spectat, ut originem, fata et praesentem dispositionem Breviarii ex genuinis eruditionis fontibus vindicemus. Ad causam nostram sufficit indicasse, *quod* et *qua ratione* Breviarium recitari debeat.

3. Itaque vi legis ecclesiasticae ad horas canonicas quotidie recitandas, et quidem sub gravi tenentur inprimis omnes clerici ordinibus majoribus initiati, seu saltem ad subdiaconatum evecti; tum omnes religiosi, qui regulam aliquam ab Ecclesia approbatam professi et simul ad chorum deputati sunt; denique omnes, qui beneficio sacro hoc onus involvente potiuntur, atque ex illo proventus percipiunt. Absque dubio Ecclesia *potuit* hanc legem condere; quod vero eandem *tulerit* et adhucdum urgere pergat, tum ex universali illius praxi tum ex strenua sacrorum praesulum sollicitudine patet, qua huic sanctioni insistunt. Etiamsi ergo haec obligatio quantum ad clericos saeculares

ab initio potius ex consuetudine, quam ex lege scripta descenderit; exinde tamen ne parum quidem minuitur; cum et consuetudo isthaec legitime introducta et per Ecclesiae auctoritatem legibus etiam scriptis quam maxime firmata fuerit.

4. Porro ex Ecclesiae praescripto Breviarium non quomodocunque, sed *diligenter* atque *devote* recitari debet; et *diligenter* quidem, ut modus et in choro omnes ritus observentur, quos Ecclesia sancivit *); *devote* autem, ut veri nominis oratio existat. Etiamsi vero Ecclesia plenam et omnimodam mentis devotionem exoptet, humanae tamen fragilitati compatitur, atque praeceptum suum consuetae hominum infirmitati attemperat. Unde dummodo verba cum aliqua saltem animi devotione rite pronuntiata fuerint, opus non est, ut pensum persolutum ob ingruentes distractiones de novo recitetur. Et quidem ubi tales animi evagationes prorsus involuntariae exstiterunt, omnes hac de re consentiunt. Rigidius aliqui de illis judicant, qui distractiones admiserunt voluntarias. Ast nemo non videt, etiam inter eos, qui voluntarie distracti orant, plurimos imputationis gradus discerni posse. Pro ingenti fragilitate nostra fieri potest, ut sub recitatione etiam culpabiliter distracta vera tamen animi devotio lateat. Generatim hic repetenda veniunt, quae §. 201. de hujusmodi distractionibus attuli. Cumque leges humanae *favorabiliter* accipi soleant, illi omnes ab onere repetendi immunes videntur, qui in horis recitandis saltem non *omni devotione* destituti fuere. Id ipsum praxis probatissimorum virorum habet. Demum qui, quidquid cum voluntaria distractione recitatum fuit, repe-

*) Ipsum Breviarii recitandi modum et rubricas ab Ecclesia statutas brevitatis causa omitto, eoquod in obviis auctoribus reperiri possint.

tendum esse ducunt, viros conscientiae timoratae continuis maximisque anxietatibus implicant.

Haec tamen ita intelligantur, ut studio pietatis nihil inde decedat. Absit enim, ut illorum foveamus luriditatem, qui dummodo literam praecepti ecclesiastici expleverint, nihil praeterea sibi curandum esse autumant. Etiamsi enim, qui cum aliqua saltem devotione horas recitant, ab onere repetendi immunes dicantur, illi tamen, qui identidem voluntarias distractiones admittunt, reverentiae DEO exhibendae valde desunt, ac uberrimis fructibus verae devotionis quoad maximam partem privantur. Cf. Vir apostolicus Fr. Neumayr: De horis canonicis.

5. Consecutio aeque necessaria est, illum, qui citra causam excusantem Breviarium omittit, peccare graviter; imo plerique omissionem unius integrae horae ad peccatum grave sufficere arbitrantur. Qui denique etiam ex titulo beneficii ad recitandas horas obstringuntur, hi, ubi huic officio defuerunt, tenentur etiam ad restituendam portionem redituum suorum, quae neglectae recitationi respondet. Atque haec restitutio vel in fabricam Ecclesiae, cui quis deservit, et in ejusdem emolumentum, vel etiam in pauperes aliasque pias causas eroganda venit.

Et utique ipsum jus naturae prohibet, ne quis mercedem capiat, qui praescriptum laborem sua ipsius culpa neglexit. Ast gravis controversia agitatur, utrum talis omnes beneficii fructus, an vero eos tantum restituere debeat, qui *omissae breviarii* parti respondent, ut adeo illos, quos pro reliquis suis functionibus rite exantlatis percepit, retinere possit? Oberrauch sententiam mitiorem propugnat, idque, ut videtur, sat solide. Cum enim constitutiones ecclesiasticae hac super re editae utramque interpretationem admittant, recte illud adoptamus, quod *juri naturali* magis convenit. Jam vero ex jure naturali mercenarius, qui locatam operam partim omittit partim praestat, non videtur integra mercede privandus esse.

§. 211.

Continuatio.

1. Pia mater Ecclesia pensum istud canonicum equidem sub gravi praecipit; attamen neutiquam inexorabilis est. Unde, ut §. 67. de legibus humanis generatim dictum fuit, etiam circa praesens officium interdum dispensari solet, si nempe ratio vere gravis et extrinseca occurrit. Talis dispensatio per summum Pontificem, et ubi aditus ad illum haud patet, etiam per Episcopum loci conceditur praesertim iis in casibus, ubi quis non in perpetuum, sed nonnisi ad tempus ab hac lege eximi petit. Pari modo plerique antistites ordinum religiosorum cum suis dispensare solent. Denique ubi molestia admodum urgens et periculum in mora obversatur, etiam simplex declaratio locum habet, e. g. dum quis oculis vel alia graviori infirmitate laborat, vel etiam dum quis per totam diem aliis necessariis laboribus ita distinetur et defatigatur, ut absque sanitatis dispendio pensum istud persolvere jam non possit.

In memoriam revocanda hic sunt, quae §. §. 72. seq. de physica et morali impossibilitate diximus; neque obliviscendum, illum, qui totum Breviarium recitare non valet, fors aliquam saltem illius partem, unam alteramve horam persolvere posse, ad quam proinde tenebitur. Ceterum prout in reliquis, ita quoque in hac materia levitatem inter et anxietatem via media incedatur.

2. Ex quibus eruitur, quantum illi officio suo desint, qui sub ementitis praetextibus, reapse vero prae lugendo sacrorum taedio et legum ecclesiasticarum neglectu horas canonicas aspernantur. Quidam illas ceu superstitiosas reliquias vitae monasticae despiciunt, atque vitiosam earum compositionem accusant. Verum non quaeritur, qua ratione Breviarium introductum et compositum fuerit, sed tantum

quid legitima potestas jubeat; cum igitur Ecclesia praesentem hujus pensi formam urgere pergat, nullus sub hoc obtentu a lege universali eximitur. „*Ast*," complures oggerunt, „*numquid non magis expedit, ut Breviario aptae meditationes et preces ex corde depromtae substituantur?*" Verum etiam Ecclesia optat, ut circa mysteria religionis et munia vocationis nostrae quotidie meditemur, sed oportet alterum fieri, et alterum non omitti. Si tamen utrumque fieri non potest, „*melior est obedientia, quam victimae, et auscultare magis, quam offerre adipem arietum; quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare et quasi scelus idololatriae nolle acquiescere.*" I. Reg. 15, 22.

Et qui demum sunt illi, qui neglecto penso canonico de profundis suis sublimibusque meditationibus gloriantur? Illos inter, qui horas canonicas quotidie persolvunt, plurimos invenies, qui insuper aeternas veritates serio perpendunt, de corde precantur, atque mentem suam per continuatum orationis studium coelestibus intentam gerunt. Ast ex numero eorum, qui Breviarium contemnunt, vix unum deteges, qui aliis pietatis exercitiis sedulo incumbat. Plerique jam per exitiale frigus, quo tremendum Sacrificium aliaque religionis mysteria tractant, nimium quantum produnt, quo spiritu imbuti sint. Idem de illis dicendum, qui ad recitandas horas tempus sibi deesse ajunt. Hinc inde quidem fieri potest, ut ob congeminatos labores vix aliquid temporis supersit. Ast mentiuntur, qui generatim nullum sibi tempus suppetere praetendunt; qui enim occupationes et res suas apte disponit, atque tempore sibi concesso prudenter utitur, certe etiam ad Breviarium apta spatia habebit. Id quod experientia satis confirmat. Viri cordati, etiamsi plurimis negotiis occupentur, rarissime tamen conqueruntur, sese ad dicendas horas necessario tempore destitui; contra qui hunc temporis defectum obtendunt, plerumque per magnam diei partem vel vanis confabulationibus indulgent, vel in popinis commoran-

tur, vel denique non solidae doctrinae, sed novellis levibusque scriptiunculis vacant, quibus sola fere curiositas nutritur, aut phantasia incalescit.

3. Quare unicuique nostrum sancta et inviolabilis lex esto, ut per multam fervidamque orationem spiritum religionis identidem nutrire ac perficere studeamus. Quidquid Ecclesia praecipit, etiamsi hinc inde molestum videatur, pia tamen cum observantia persolvamus; ast his nondum contenti praeter literam etiam spiritum, quem praecepta isthaec prae se ferunt, assequi conemur, ne, si charitatem primam dereliquisse nobis contingat, veniat, *„qui tenet septem stellas in dextera sua, et moveat candelabrum nostrum de loco suo.“* Apoc. 2.

Caput II.

De cultu DEI communi et publico.

§. 212.

Officium cultus communis.

1. DEO Optimo Maximo cultum etiam communem, et ubi per temporum circumstantias conceditur, publicum deberi, facile ostendi potest. Inprimis enim sensus intimus id dictat. Ens absolutum atque omni cultu dignissimum certe justo minus colitur, si cultus communis illi denegatur. Vel quid demum de illa hominum societate censendum foret, in qua ad quoscunque alios fines vires junguntur, et nonnisi officium ex omnibus summum publica attentione indignum creditur? Quis non videt, talem societatem, ubi DEO nonnisi a singulis, et quasi furtive aliquid honoris defertur, revera publicum DEI neglectum atque contemtum prodere? Quare nemini mirum videbitur, si per omnes aetates praeterlapsas et ubique gentium divinitati, quam

unaquaeque gens venerabatur, aliquod cultus communis tributum impensum fuit. Quod divinam revelationem attinet, opus non est, ut sanctiones antiqui Foederis adducam. Etiam divinus Redemtor noster cultum communem voluit, prout jam exinde patet, quod praeter reliqua Sacramenta divinissimam Eucharistiam instituerit adjecto mandato: *„Hoc facite in meam commemorationem.“* Luc. 22, 19. Unde jam in primo nascentis Ecclesiae flore talem viguisse cultum conspicimus. *„Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis et orationibus.“* Act. 2, 42. Quanto studio Apostoli cultum istum promoverint, praesertim ex Epistolis S. Pauli constat, ubi varia circa illum praescribuntur, carpuntur irrepentes abusus, fidelibusque enixe commendatur, *„ne sint deserentes collectionem nostram.“* Hebr. 10, 25. Vid. I. Cor. 11, 18. et seq., ibid. 14, 19. et seq., I. Tim. 2. Quid demum Traditio et non interruptus sensus Ecclesiae hac de re teneat, neminem latere potest.

2. Verum etiam mediate, seu dum nos ipsos attendimus, necessitas cultus communis et publici eruitur. Etenim hoc solo medio religionis officiorumque nostrorum notitia, prout decet, divulgari et vivus eorundem sensus foveri potest. Profecto quanta morum conceptuumque barbaries regiones nostras occupatura esset, si per longius tempus communis cultus exulare cogeretur! Quanta vero emolumenta non tantum in singulos, sed in ipsam quoque rempublicam redundant, ubi cultus iste debito modo peragitur! In hisce sacris conventibus veritates aeternae non tantum captui, sed etiam cordi nostro efficaciter inseruntur, edocemur officia, quibus sub quacunque ratione constringimur, proponuntur pulcherrima virtutum exempla, corda afflicta et exulcerata ex propositis coelorum praemiis superno suavissimoque solatio recreantur, et praeterea affectus ex tot

praecordiis erumpentes sese mutuo accendunt, atque adinstar flammae congeminatae in altum surgunt, vel si mavis, adinstar torrentis per tot rivulos tumidi magno impetu in Divinitatis oceanum evolvuntur. Praecipue mutua aestimatio et charitas per cultum DEI communem et publicum insigniter promoveri solet; in his enim conventibus, utcunque diversae indolis, conditionis et dignitatis simus, omnes tamen ceu una familia, ceu filii ejusdem divini Patris, atque ceu uno eodemque Christi sanguine redemti comparemus. Sane spectaculum dignius non datur, quam dum homines coram DEO congregati et diversorum graduum, quos in societate occupant, immemores, veluti membra unius familiae communem suum Patrem reverentur, atque supplices ad illum manus tendunt. Hac demum ratione aequalis natura et destinatio omnium ad vivum exprimitur, et ita exprimitur, ut mutua subordinatio, quam leges societatis postulant, non tantum nullatenus labefactetur, sed potius arctioribus vinculis firmetur. Ecquis prospera sorte super reliquos elatus cor suum piis humanitatis sensibus occludat, dum hac occasione pauperculum quemque et despectum coram DEO sibi aequalem videt, atque imminentis aeternitatis recordatur, ubi praeter solam virtutem, quam in sua quisque statione exercuit, omnes reliquae prorogativae penitus evanescent? Huc, ni fallor, verba illa Apostoli spectant: „*Omnes enim filii DEI estis per fidem, quae est in Christo JESU. Non est Judaeus neque Graecus, non est servus neque liber, non est masculus neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo JESU.*“ Gal. 3, 26. etc. Vel ut alibi ait: „*Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus.*“ I. Cor. 10, 17.

3. Quapropter, etiamsi aliae rationes deessent, ipsa tamen charitas, quam tum nobismet ipsis tum aliis et prae-

sertim saluti publicae debemus, communem DEI cultum efflagitat. „*Nesciunt sane*," ait Oberrauch, „*neque scient aliquando ii, qui religionem ad speciem duntaxat curare solent, quanta detrimenta a suis patiantur, et quanta in ingenti aliquo discrimine aut in re desperata timere debeant. Nec mirum sane; nam si DEUM curare non est opus, nulla amplius ratio eis suppetit ad fidem ac pietatem colendam, quoties homines latere possunt, aut timere non coguntur. Finge, quot absit, hac irreligione magistratus, plebem, milites gregarios cum suis ducibus imbui; nonne eo ipso momento quaelibet civitas in societatem latronum mox abibit? Quem exercitum opponemus impietati, si haec ipsos exercitus nostros occupaverit?*" His ingens scandalum accedit, si qui cultui publico se subducunt. Atque hoc idem scandalum eo majus esse solet, quo magis ejusmodi homines doctrina vel dignitate praecellere videntur. Quomodo e. g. exspectari poterit, ut communitas divino cultui frequens assistat, quando publici officiales illum passim negligunt? Vel quid subditi facient, ubi paterfamilias omni religione destituitur? Res haec sane multo gravior est, quam plerique autumant, atque ingentem dolendi materiam praebet, sicubi proceres vel praepositi publica devotionis exercitia declinant, vel apertum omnino illorum contemtum produnt.

Ast cave, ne DEUM ideo duntaxat colendum putes, quia ex hoc cultu tum in singulos tum in totam societatem tot emolumenta redundant. Cum DEUS rerum prorsus omnium ultimus finis existat, certe indignissimum foret, illum non propter semet ipsum, sed nonnisi ex studio propriae utilitatis venerari. *Ratio ergo prima* DEUM colendi semper DEUS ipsusmet esto; emolumenta vero, quae inde percipimus, tantummodo qua rationes secundariae admitti possunt.

§. 213.

Refelluntur objectiones.

1. Percurramus breviter objectiones, quibus adversarii cultus divini suum circa sacra torporem obtegere consueverunt. Inprimis inquiunt: „*DEUS servitio nostro haud indiget, et longe excelsior est, quam ut nostris vel obsequiis vel laudibus demulceri velit.*“ Sed utique non *indigentia*, sed *infinita dignitas* DEI hunc cultum deposcit, quia nempe *justissimum* est, ut illum cultu etiam communi prosequamur. Insuper si DEUS ipse hoc cultu non eget, eundem *nobis* necessarium ducimus, tum immediate, ut omnem faciamus justitiam, tum mediate ob summam utilitatem illius.

2. Alii abusus obtendunt, in quos cultum illum penitus degenerasse clamitant. Ast qui rem serio expenderit, facile perspiciet, abusus istos vel nonnisi ab impiis novatoribus confictos, vel certe tantos non esse, quales perhibentur. Substantia cultus nostri non tantum excellens, sed vere divina manet. Quodsi alicubi veritates ac mysteria religionis nostrae per indignos sacerdotes luride pertractantur, id utique maxime dolendum est; sed ipsa DEUM publice colendi obligatio exinde haudquaquam cessat. Quid, si a reliquis nostris officiis nos exemtos crederemus, quamprimum in illis obeundis aliquod taedium experimur?

3. Alii ad sententiam Christi provocant dicentis: „*Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito.*“ Matth. 6, 6. Verum ex contextu patet, his verbis nonnisi hypocrisim Pharisaeorum redargui. Quod vero divinus Mediator noster praeter cultum privatum etiam communem praeceperit, tum ex instituto novae legis sacrificio, tum ex Traditione et constanti Ecclesiae sensu eruitur, ut paulo ante vidimus.

4. Plerique ad cultum communem tempus sibi deesse praetendunt. Ast miseros homines, quibus ad obvia et levissima quaeque negotia tempus abundat, et tum demum nullum vacuum spatium relinquitur, ubi DEO justum reverentiae, amoris ac gratitudinis pensum persolvere deberent! Qui tamen hujus furfuris homines penitius novit, facile concedet, ipsis non tempus, sed fidem ac pietatem deesse, unde, prout tota parabola, ita etiam tremenda illos sententia ferit: *„Dico vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit coenam meam.“* Luc. 14, 16. etc.

§. 214.

Partes cultus divini.

1. Cultus DEI publicus *religiosa institutione* et *devotione* constat. Attamen religiosa institutio, qua fideles tum divinas veritates tum officia sua edocentur, non tam *essentiam*, quam potius *praeviam conditionem* hujus cultus constituit, ut scilicet mentes per solidam doctrinam et piam adhortationem ad affectus convenientes disponantur. Ipsa divini cultus essentia in devotione consistit, qua vel ipsimet per preces, hymnos aliaque pietatis exercitia affectus nostros testatos facimus, vel de divinis mysteriis participamus. Atque has cultus communis partes jam ipsa aetas apostolica exhibet: *„Erant quippe perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis et orationibus.“* Act. 2, 42. Ex tempore mox subsequente celebre est testimonium S. Justini M. Apol. I. c. 65. et seq.

Unde qui non ritus accidentales, sed essentiam liturgiae nostrae attendit, facile respondebit adversariis, dum sciscitantur, quando et ubinam Apostoli Missam legerint.

2. Quantum ad religiosam institutionem breves esse

possumus, eoquod doctrina pastoralis illam fuse admodum pertractat. Unde haec tantum adjicio: Etiamsi haec instructio non ipsam cultus essentiam constituat, generatim tamen est necessaria; quis enim non indiget, ut circa religionem per legitimos Ecclesiae ministros instruatur, utque ipsius animo nova semper pietatis atque virtutis motiva proponantur? Unde, prout sacrorum ministri veritates religionis docere obstringuntur, ita quoque fidelibus officium incumbit hanc doctrinam sedulo excipiendi. Et sane qui hac in parte desides et negligentes sunt, praeter peccatum scandali jam hac ipsa desidia animum rerum divinarum incurium ac terrenis immersum contestantur, atque peccatis suis frustra ignorantiam obtendunt, utpote culpabiliter alucinantes: „*Qui ex DEO est, verba DEI audit. Propterea vos non auditis, quia ex DEO non estis.*“ Joann. 8, 47.

Quia tamen essentia cultus divini in devotione residet, et non penes omnes eadem continuatae instructionis necessitas datur, haec eadem obligatio dummodo periculum scandali absit, in diversis diversa esse potest, et pro casibus singularibus facilior excusatio admittitur. Neque Ecclesia vituperari meretur, si ex moderna disciplina non omni die, quo sacra peraguntur, etiam religiosa instructio ad populum habetur. Omnium maxime illi errant, qui hanc institutionem ceu cultus divini *essentiam* extollunt, adeo ut ipsi sacrificio et reliquis mysteriis nihil pretii assignent, nisi in quantum per illa tamquam per apta symbola instruimur, officiorumque nobis incumbentium admonemur. Hinc qui ita sentiunt, etiam in sacrorum ministris aliud non vident, nisi *informatores populi*. Cui quidem assertioni tum ratio per revelationem illustrata, tum constans usus Ecclesiae quam maxime adversatur.

3. Altera et principalis cultus DEO exhibendi pars est devotio. Quatenus haec mentis affectio piis fidelium precibus et hymnis peragitur, non est, quod plura addamus;

quippe cum de illa, quidquid hucusque de oratione diximus, repetendum veniat hoc solo discrimine, quod recensita devotionis exercitia in sacro conventu publice atque communi omnium studio peragantur. Haec *communis et unanimis* omnium devotio in nostris conventibus neutiquam desideratur, etiamsi singuli quique exercitiis privatis et admodum diversis occupati videantur. Etenim sacerdos non suo tantum, sed omnium nomine officio suo defungitur, adstantium vices agit, atque hi, quamvis preces multum diversas recitent, omnes tamen hac cum intentione sacris intersunt, ut per ministrum ab Ecclesia deputatum DEO devotionem suam publice unitoque studio exhibeant *).

§. 215.

De sacrificio generatim.

1. Devotio nostra ad dignitatem prorsus infinitam evehitur, ubi de mysteriis divinitus institutis, et praesertim de sacrificio Missae participamus; tum enim Christus ipse sacerdotali munere fungitur, et non tantum pro nobis, sed etiam in nobis aeternum Patrem adorat, eidem satisfacit, ipsique preces offert, quibus Spiritus divinus gemitibus inenarrabilibus postulat pro nobis. Rom. 8, 26. Ut vero hanc gravissimam causam penitius intelligamus, notio sa-

*) Insuper tum reverentiae DEO debitae, tum etiam indoli hominum, quippe qui a sensibus adeo dependent, quam maxime convenit, ut cultus divinus cum *decenti apparatu* fiat. Indicium plane multi teporis est, sicubi in aedibus privatorum omnia splendent, in Ecclesia vero summa paupertas detegitur. Frustra quoque indignantur, qui dicunt: *Ut quid perditio haec?* Cave etenim, ne quasi *deperditum* dicas, quod ad contestandam pietatem proxime DEO impenditur! Imo pro salute ipsius reip. non datur institutum utilius, quam cultus divinus rite celebratus.

crificii in genere spectati praemittenda videtur. Itaque sacrificium proprie dictum est oblatio rei sensibilis et externae, facta a legitimo Ministro, ad contestandum supremum dominium DEI, cum aliqua rei oblatae destructione, vel immutatione *).

2. Quare sacrificium vere tale soli DEO litari potest, utpote quem solum ceu principium, finem et absolutum Dominum totius universi suspicimus. Cf. S. Aug. de civit. DEI. l. 10. c. 19.

3. Occurrunt vero in historia tum sacra tum profana diversae sacrificiorum species. Et quidem ut potissimas solum allegem, intuitu rerum oblatarum fuerunt *libamina*, *immolationes* seu *ferta*, et *victimae*, dum scilicet vel fluida, vel solida, vel corpora animata DEO impendebantur **).

*) Vid. S. Thom. 2. 2. Q. 85. art. 3. Cf. Klüpfel P. II. l. 3. §. 82. In sensu tamen latiori et minus proprio etiam alia pietatis obsequia hoc nomine compellantur, e. g. divinae laudes, Ps. 49, 23. Refrenatio pravae concupiscentiae Rom. 12, 1. Opera beneficentiae Hebr. 13, 16.

**) Multam attentionem meretur, ab omni retro aetate opinionem viguisse, Divinitatem ab hominibus offensam nonnisi *effusione sanguinis*, seu victimis placari posse. Haec populorum persuasio, quae inter ethnicos postmodum horrendum in modum degeneravit, adeo, ut passim etiam homines mactarentur, absque dubio originem suam ex *primitiva aliqua traditione* traxit, Gen. 4, 4., atque duplici axiomate nitebatur: *a) Sanguinem* in unoquoque animanti esse sedem et principium vitae, Gen. 9, 4. seq., Levit. 13, 11., Deut. 12, 23. seq.; *b)* tum vero dari aliquam *reversibilitatem*, id est, in locum ipsius delinquentis, qui mortem promeruerat, hostiam aliquam *vicariam* substitui posse. Cf. Le Maistre: Soirées de S. Petersbourg. Vol. II. Generatim mos sacrificandi cum primis hominibus coepit, et postea per omnes gentes diffusus fuit.

4. Pro diversitate affectuum, ad quos exprimendos sacrificia peraguntur, sunt vel *latreutica*, vel *eucharistica*, vel *propitiatoria*, vel demum *impetratoria*. Ex quibus inferre licet:

a) Sacrificium est realis, et pulcherrima simul pietatis nostrae exhibitio. S. Thom. 2. 2. Q. 85. art. 2. Imo inter veros DEI cultores inde a mundi origine sub sacrificio etiam idea venturi Redemtoris latuit. Hebr. 11.

b) Mos sacrificandi nonnisi per calumniam anthropopathia DEO indigna vocari potest. Non enim DEUM quasi sanguinolentum, vel praecipiti ira abreptum cogitamus, qui, ut ethnici somniarunt, donis et victimis demulceri debeat; sed solum infinitam ipsius excellentiam, et vicissim subjectionem, gratitudinem, aliosque animi vere devoti affectus contestamur.

c) Praeter antiquissimam traditionem, divinae justitiae peccatis offensae, hostiam aliquam vicariam deberi, ipsi sanae rationi apprime convenit, ut homines omnimodam subjectionem et dependentiam suam DEO taliter testatam faciant, eodem fere modo, quo dominis terrenis in recognitionem hujus dominii quaedam offerri solent. S. Thom. l. c. Art. 1.

§. 216.

De sacrificio Missae.

1. Quae modo diximus, satis innuunt, quid de illa oblatione censendum sit, qua JESUS Christus aeterno Patri semet ipsum obtulit. Etenim juxta constantem et certissimam religionis nostrae doctrinam mors divini Redemtoris verum sacrificium extitit, quo totius humani generis vices agens tum aeternae justitiae satisfecit, tum infinitum omnimodae devotionis pensum exhibuit, ita ut ejusdem sacrificium simul et latreuticum, et propitiatorium, et eucha-

risticum, et impetratorium fuerit. Imo sacrificia veteris Test. aliud non fuerunt, nisi typi et adumbrationes hujus; unde *nulla illis vis intrinseca*, sed omnis illorum efficacia ex sacrificio crucis fuit, cujus tamquam symbola divinitus instituta fidem saltem implicitam excitarunt. Id non tantum omnes Ecclesiae Patres, sed etiam Apostolus ipse asseverat, quippe qui omnes praeteritorum temporum justos per fidem salvatos esse testatur. Hebr. 11.

2. Verum aeque certissima Ecclesiae doctrina tenet, sacrificium, quod in cruce litatum fuit, adhucdum in Missa non tantum recoli, sed vere *iterari*, ita ut quoad rei essentiam idem nunc peragatur, quod olim in cruce; eoquod in utroque sacrificio eadem hostia et idem quoque sacerdos sit eo solo discrimine, quod sacrificium crucis cruentum fuerit, sacrificium altaris vero incruentum existat. Quem in finem Trident. docet: „*Una eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cujus quidem oblationis cruentae fructus per hanc uberrime percipiuntur.*“ Sess. 22. c. 2.

Quapropter cum non ipsum sacrificium, sed sola offerendi ratio discrepet, theologi dicunt, Christi sanguinem, qui in cruce vere effusus fuit, in Missae sacrificio *mystice* effundi, vel potius ab ejusdem corpore separari. Atque hanc mysticam sanguinis effusionem ex verbis consecrationis inferunt. Scilicet *vi verborum*, quibus sacerdos consecrans ex divina institutione utitur, sub specie panis solum corpus, et sub specie vini solus sanguis Christi habetur. Equidem, quia Christus non amplius moritur, vera et actualis separatio sanguinis a corpore haud evenit; attamen haec separatio per verba consecrationis innuitur, et sic, quia corpus sine sanguine mortuum censetur, Deut. 12, 23., mors Christi, seu destructio victimae divinae mystice repraesentatur.

3. Quare essentia hujus divini sacrificii in consecratione utriusque speciei, panis nempe et vini consistit; unde ex constanti sensu Ecclesiae haec *utriusque speciei* consecratio nunquam non necessaria credebatur. Sumtio autem seu Communio partem ejusdem integrantem constituit, quae quidem sacerdoti celebranti absolute praecipitur, quod vero adstantes fideles attinet, Ecclesia optat quidem, ut, si non actu, saltem pio animi voto divinam Eucharistiam percipiant, ita tamen ut hanc fidelium Communionem non ad essentiam sacrificii pertinere arbitretur.

Alia consecutio est, quod, cum in divino hoc sacrificio corpus Christi ab ejusdem sanguine non vere, sed mystice tantum separetur, quod, inquam, sub utraque specie totus Christus praesens existat, et consequenter quod nulla Sacramenti mutilatio timenda sit, si mysterium istud sub una tantum specie suscipitur. Quodsi Protestantes urgent, cur Christus Sacramentum altaris sub bina specie instituerit, respondemus, distinguendum esse inter novae legis sacrificium et sumtionem Eucharistiae. Qua sacrificium Eucharistia absque dubio binas species requirit; ast ad ejusdem susceptionem etiam una sufficit. Atque hanc inde a primis temporibus constantem Ecclesiae sententiam fuisse, ex historia constat.

§. 217.

Continuatio.

1. His nonnihil attentius perpensis qualis jam populo christiano, et nobis praesertim sacerdotibus circa hoc mysterium sensus esse debebit? Scilicet sacrificium Missae revera unum idemque est cum illo, quod in cruce oblatum fuit; sola offerendi ratio differt. Et inprimis quidem *una eademque hostia* adest, Christus nempe aeternus DEI Filius, qui sub speciebus panis et vini vere, realiter et substantialiter praesens existit. Pari modo utrumque sacrificium tam crucis quam altaris ab *uno eodemque sacerdote*

peragitur; nos ministri enim, dum consecramus, non *nostram, sed personam ipsius Christi* gerimus, ut adeo divinus Mediator hostia simul et sacerdos existat. Demum idem Dominus JESUS Christus, prout in cruce, ita quoque in Missa cum infinito charitatis devotionisque affectu aeterno Patri se offert.

2. Ex eadem ratione *„haec oblatio munda, quae in omni loco sacrificatur et offertur,"* Mal. 1, 11., omnia sacrificiorum genera complectitur, ita ut per hoc divinum mysterium DEO et infinitus honos impendatur, et ejusdem justitiae satisfiat, et condignae eidem grates referantur, et bona denique cuncta impetrari possint. Neque valor tanti sacrificii ex dignitate vel indignitate illius pendet, cujus ministerio Christus utitur, sed dummodo is presbyter sit, et praeter necessariam formam ac materiam debitam consecrandi intentionem adhibeat, tremendo huic sacrificio integer ejusdem valor constat, quia nempe primus et proprius sacerdos est Christus ipse.

Verumtamen et nos, qui per Sacramentum ordinis ad tantam dignitatem evecti sumus, recte sacerdotes et mysteriorum dispensatores dicimur, sacerdotes nempe *secundarii*, per quos Christus tamquam per organa specialiter sibi allecta operari dignatur. Unde vae sacerdoti indigno, qui tantum mysterium sacrilege pertractat! Imo sub aliqua ratione omnes fideles, praecipue qui sacrificio pie intersunt, non quidem sacerdotes, sed tamen *offerentes* dicuntur. Christus enim pro nobis et nostras quodammodo vices agens aeterno Patri se offert; dum ergo cum ipso conjuncti idem facere intendimus, quod ipse facit, divinus Redemtor non tantum *pro nobis*, sed etiam *a nobis* offertur. Et propterea, ut Oberrauch advertit, sacrificio interesse res est summi momenti; nam assistentes non otiosi spectatores, sed aliqua ratione *auctores* tantae rei sunt, utpote qui sacrificium alieno quidem ministerio, attamen sua voluntate et cum Christo uniti offerunt.

3. Denique patet, qua ratione huic sacrificio nos assistere oporteat. Scilicet cum viva Christi eorumque, quae pro nobis perfecit, memoria huic divino Mediatori nos omni meliori modo conformare, atque omnem devotionem nostram per ipsum et cum ipso ad aeternum Patrem dirigere studeamus. Etiamsi una devotionis species prae alia commendari mereatur, omnia tamen vota et exercitia nostra DEO erunt gratissima, si in hac intima cum Christo ceu primario sacerdote nostro conjunctione persolvuntur. Praecipue sub omni sacrificio unacum Christo etiam nos ipsos et res nostras DEO penitus consecrare atque de novo offerre satagamus, quem in finem in piissimo libello Christus ita loquens inducitur: *„Sicut ego me ipsum expansis in cruce manibus pro peccatis tuis DEO Patri sponte obtuli, ita ut nihil in me remaneret, quin totum in sacrificium divinae placationis transiret; ita debes et tu temet ipsum mihi voluntarie in oblationem puram et sanctam quotidie in Missa cum omnibus viribus et affectibus tuis, quanto intimius vales, offerre. Quid magis a te requiro, quam ut studeas mihi te ex integro resignare etc.?"* De imit. l. 4. c. 8. Quae quidem adhortatio prae reliquis sacerdotem ipsum, dum celebrat aggreditur.

§. 218.

De diebus festis generatim.

1. Ubique terrarum certos dies cultui divino specialiter dedicatos fuisse legimus, ut adeo etiam haec obligatio per ipsam quasi naturam vel potius per universalem traditionem inducta videatur. Et quidem in Ecclesia christiana a primo ejus exordio dies dominica celebrari coepit, utpote qua Christus e sepulchro surrexit, et per adventum Spiritus sancti lex nova solemniter sancita fuit. Diei dominicae

mox alia festa accesserunt, inprimis quidem ad recolenda quotannis praecipua religionis nostrae mysteria, tum vero etiam in memoriam Sanctorum, quorum praeclare gestis Ecclesia insigniter illustrata et provecta fuerat.

2. Absque dubio praeceptum Ecclesiae, quod festorum celebrationem jubet, veri nominis obligationem involvit. Et siquidem literam hujus praecepti attendimus, duo jubentur: *a)* Ut diebus festis ab omni opere servili abstineamus, et *b)* ut devote intersimus sacrificio Missae.

Ast multo plura sunt, quae *spiritus* hujus legis amplectitur, seu quae ab Ecclesia exoptantur. Attamen ubi de lege ecclesiastica *qua tali* quaeritur, ad ea sola obstringimur, quae stricte praecipiuntur, juxta notum illud: *Intentio legis non cadit sub legem.* Alia vero quaestio est, quid aliae rationes expetant, seu an non ipsa lex naturalis urgeat, ut praeter literam etiam spiritum hujus praecepti assequi conemur. Plura de his inferius.

§. 219.

De abstinentia a servilibus.

1. Prima itaque praecepti ecclesiastici pars opera servilia prohibet, sub qua quidem cessatione pulcherrimus sensus latet. Dum enim consueta hujus temporis negotia in honorem DEI suspendimus, dies isti ex communi censu reliquorum hoc ipso secernuntur, atque DEO sacrati fiunt. Unde haec a servilibus abstinentia jam suapte indole aliquem DEI cultum constituit; est quippe aliquod *genus sacrificii*, quod DEO de tempore nobis concesso offerimus, eidemque ad contestandam nostram pietatem devovemus, ut adeo otium istud vere *sacrum* dici mereatur. Id ipsum quoque sensus communis habet, quo fit, ut homines tum DEO tum Sanctis, imo et dilectis hominibus aliquid honoris impendi arbitrentur, ubi eorum intuitu a quotidianis laboribus cessant.

2. Et quia dies DEO taliter sacrati tamquam *dies ordinis altioris* suspiciuntur, valde congruit, ut eosdem pia mentis hilaritate, et indiciis etiam externis, e. g. elegantiori vestitu etc. prae reliquis insignire studeamus; sunt enim, ut modo dixi, dies ordinis sublimioris, et adumbratio quaedam coelestis illius sabbati, cujus tanto desiderio tenemur. Hebr. 4, 11. Et sane etiamsi haec externa tantum sint, destinationi tamen festorum apprime respondent, et siquidem ex animo vere devoto procedant, aliquam divini cultus partem constituunt. Vel quid convenientius, quam ut pro dignitate ipsius diei etiam habitus et tota conversatio nostra nihil, quod vulgare et quotidianum sit, prae se ferat?

3. Haec igitur est ratio prima, ut hisce diebus ab omni opere servili cessemus. Ratio altera est, ut a negotiis profanis abstinentes eo liberius piis incumbamus exercitiis. Cum enim dies isti proxime cultui divino consecrentur, non tantum optata spiritualibus vacandi opportunitas datur, sed ratio ipsa urget, ut mens nostra charitatem et devotionem suam erga DEUM omni modo exhibeat.

Ast quamvis hisce diebus nos in exercitiis devotionis plurimos esse oporteat, illi tamen nimium petunt, ex quorum sententia dies DEO sacrati *ex integro* orationem inter et piam lectionem transigendi forent. Etenim et justa animi exhilaratio et otium ipsum quodammodo in DEI cultum cedit, siquidem otium istud vere sacrum seu tale sit, quod ex mente DEO devota procedat, et nec frequentationi sacrorum, nec alii cuipiam officio obstet. Id quod per exempla haud difficulter illustrari potest.

4. Denique in veteri Test. tertia adhuc hujus cessationis ratio additur, scilicet ut in memoriam quietis illius, qua DEUS ipse die septimo ab omni opere cessavit, tum nosmet ipsi tum famulitium, imo et jumenta nostra vires

defatigatas reficere et refocillare queant. Pulcherrima sunt, quae iterato circa hanc rem praecipiuntur. „*Septimus dies sabbati est, id est, requies Domini DEI tui. Non facies in eo quidquam operis tu, et filius tuus et filia, servus et ancilla, et bos et asinus, et omne jumentum tuum, et peregrinus, qui est intra portas tuas, ut requiescat servus tuus et ancilla tua sicut et tu. Memento, quod et ipse servieris in Aegypto, et eduxerit te Dominus DEUS tuus in manu forti et brachio extento.*“ Deut. 5, 14.

Quaeso, ubinam gentium leges invenimus, quae erga homines infimae sortis, imo erga ipsa bruta animantia tam pium humanitatis sensum spirent? Quantum vel ex hoc capite discrimen inter leges mosaicas et illas, quas e. g. Lycurgus vel Solon tulit!

5. Ex his prona consecutio habetur, quid praecepti ecclesiastici opera servilia interdicentis *spiritus* expetat. Dum nempe *spiritum* hujus legis attendimus, dies isti a negotiis profanis exemti DEO penitus consecrari debent; huic vero legis ecclesiasticae spiritui neutiquam adversantur labores, qui e. g. divinum cultum intendunt, quibus cibi parantur etc.

6. Dum vero *literam* praecepti ecclesiastici consideramus, nonnisi opera servilia prohibentur. Ast quaenam regula datur, per quam opera servilia a liberalibus tuto discerni possint? Hunc in finem tum ipsa occupationum indoles tum legalis consuetudo attendenda videtur. Igitur quantum ad indolem occupationum illi labores dicuntur serviles, qui *suapte natura* physicam hominis subsistentiam intendunt, quique passim pacta mercede praestari solent. *Occupationes* vero *liberales* audiunt, quae ex *natura sua* ad animum vel excolendum vel refocillandum comparatae sunt; *ex natura sua*, inquam, non enim quaeritur, *qua*

intentione hujusmodi opera exerceantur, sed quae nativa eorum indoles et destinatio sit. Adeoque intentio agentis naturam actus haud mutat, id quod res ipsa expetit, eoquod praeceptum Ecclesiae alias ab unoquoque eludi posset. Quapropter qui e. g. diebus festis vestimenta consuunt, ligna convehunt vel findunt etc., etiamsi haec et similia sine lucro, sed gratis et pro pauperibus faciant, revera tamen opera servilia exercent. E contrario autem qui musicam vel ludos instituunt, quamvis lucri causa et cum summa corporis defatigatione id fiat, horum occupationes nihilominus liberales manent.

Sed quaestio multum diversa est, utrum ejusmodi ludi non sub aliis rationibus praecepto tum Ecclesiae tum naturali repugnent; et pari modo utrum labores serviles quidem, attamen ex gravi ratione ac pio animo suscepti ab Ecclesia non concedantur, prout mox patebit.

7. Verum etiamsi allata regula sat definita videatur, plures tamen occupationes dantur, de quibus aegerrime pronuntiabis, utrum servilibus, an liberalibus annumerari debeant, e. g. delineare, pingere etc. Hae jam, plerumque saltem, per legalem consuetudinem determinantur. Imo per consuetudinem, siquidem justis conditionibus vestita sit §. 68., plura opera, quae suapte indole sunt servilia, nostris in locis licita redduntur, e. g. negotiationes privatae, prosecutio vel etiam institutio itineris etc.

§. 220.

De frequentatione divini officii.

1. Secunda praecepti ecclesiastici pars jubet, ut diebus festis divino officio devote intersimus. Et siquidem votum atque intentionem Ecclesiae attendimus, pia mater vehementer nos hortatur et allicit, ut dies DEO sacratos

ad nostram quoque sanctificationem omni meliori modo impendamus; hinc, prout catechismus romanus refert, ad praecipua Ecclesiae vota spectat, ut hisce diebus frequentes simus tum in excipiendo verbo divino, tum in piis suffragiis ac precibus persolvendis, tum demum in exercendis operibus misericordiae erga moestos, pauperes, aegrotos etc., et praesertim ut sedulo atque rite dispositi Sacramenta poenitentiae et Eucharistiae percipiamus.

2. Attamen litera praecepti universalis id solum enuntiat: *„Sacrum Missae officium diebus festis reverenter audito.“* *) Hunc in finem requiritur *a) praesentia corporalis;* attamen opus non est, ut quis sacerdotem celebrantem *videat*, *audiatve*, sed sufficit, ut sciat, quid in altari circiter peragatur, utque aliis, qui celebrantem vident, se conformet. Hinc etiam ille praecepto huic satisfacit, qui non ex animi levitate, sed ob templi angustiam vel ex alia rationabili causa extra fores Ecclesiae sacro adstat. *b)* Ut quis *integro sacro* intersit, et quidem uni eidemque sacro, quin pars illius notabilis omittatur, dum e. g. aliquis post Offertorium advenit, vel ante sumtionem recedit. *c)* Demum praesentia etiam *moralis* praecipitur, seu ut quis sui sat compos et cum aliqua saltem devotione adsit. De hac devotione idem obtinet, quod supra de Breviario *devote* recitando dixi. Attamen res haec quoad plurimos sat magnam formidandi materiam praebet. Cum enim Ecclesia diserte jubeat, ut fideles sacro officio *devote*

*) Hoc idem praeceptum olim multo plura complectebatur, quam nunc; primis enim et subsequentibus saeculis publicam liturgiam seu sacrificium Missae semper etiam sacra institutio et perceptio divinae Eucharistiae comitari solebat, quia in quavis Ecclesia nonnisi *unum sacrum* peragebatur. Hinc quoque in illos severe animadversum fuit, qui repetitis vicibus vel concioni, vel synaxi deerant.

intersint, quid de illis censendum videtur, qui sub mysterio adeo tremendo nugis atque distractionibus prorsus voluntariis indulgent, vel cum aliis confabulantur etc.? Taceo illos, qui in ipso loco sacro *oculos habent plenos adulterii et incessabilis delicti.* II. Pet. 2, 14.

Non abs re esse videtur monere, quid circa *oratoria privata* obtineat. Scilicet illi soli, dum ibidem diebus festis Missam audiunt, praeceptum Ecclesiae adimplent, quibus speciale hoc privilegium concessum fuit. Hujus igitur concessionis tum tenor tum etiam tempus, ad quod extenditur, sollicite attendi debent.

Denique notare juvat, ab Ecclesia haud praescribi, quibus praecise pietatis exercitiis fideles sub sacrificio Missae vacare debeant. Hinc dummodo quis sacro *devote* intersit, legi ecclesiasticae jam satisfecisse censetur, etiamsi fors preces aliunde debitas e. g. horas canonicas sub illo persolverit.

3. Denique prout Ecclesia humanae infirmitati temporumque injuriis condescendens vi stricti ac universalis praecepti pauca admodum jubet, ita quoque legem suam, ubi graves rationes obversantur, benigne relaxare consuevit. Unde utraque praecepti ecclesiastici pars cessat, non tantum ubi physica illud observandi impossibilitas emergit, sed etiam generatim, ubi cum molestia revera gravi et simul extrinseca colliditur. Huc spectant detrimenta probabiliter et in materia sat gravi tum nobis tum aliis imminentia, siquidem praecepto ecclesiastico obsecundetur; lucrum cessans in materia nonnihil majori, et quo quis vere indiget; aliaeque graves rationes, quas vel pietas erga pauperes, vel cura nobis ac nostris necessario impendenda etc. suppeditat. Ne tamen fideles hac Ecclesiae indulgentia abutantur et leges ipsae flaccescant, nonnulla monita subjungo. Scilicet *a)* nisi fors periculum in mora sit, omnino

condecet, ut illi, qui die festo vel servilia exercere vel a sacris abesse desiderant, praevie consilium aut declarationem parochi vel saltem confessarii sui exquirant. *b)* Simul vero parochos, dum tale consilium petitur, sat attentos esse oportet, ne forte per molestias fictas vel rationes minus sufficientes decipiantur. *c)* Et quamvis rationes allatae subsistant, talibus tamen non plus indulgere oportet, quam necessarium videtur; dum e. g. necessarius labor spatio aliquot horarum peragi potest, reliqua diei pars DEO sacrata maneat. *d)* Similiter dum lex isthaec de frequentando sacro vel de cessatione a servilibus uni alterive relaxatur, cavendum est, ne reliqui exinde scandalizentur; unde cui e. g. die festo ex ratione sat gravi laborare permittitur, id, quantum fieri potest, clam et remotis arbitris faciat etc. *e)* Demum valde expedit, ut talibus aliud pium opus injungatur; qui e. g. propter curam prolium, aegrotantium vel etiam pecorum sacris assistere nequeunt, inducantur, ut hanc omissionem per alia pietatis exercitia compensare, et sacrorum saltem per sincerum animi votum participes fieri studeant.

§. 221.

Qua ratione sanctitas horum dierum evertatur.

1. Ex hucusque dictis unusquisque perspicit, quinam actus huic universali Ecclesiae praecepto adversentur. Et inprimis quidem peccant, qui absque sufficienti ratione tales labores exercent, quos ex indole sua serviles dicere fas est. Et quamvis nonnullos horum, e. g. vecturam ex recepto more prosequi liceat, illi tamen, qui *passim* et *ob meram commoditatem* pridie vel ipso die festo tale negotium aggrediuntur, ab omni culpa neutiquam immunes sunt.

Unde haud aegre respondebis, quid censendum sit, dum e. g. feminae nobiles diebus etiam festis nonnisi ad terendum tempus quotidianas suas occupatiunculas prosequuntur, vel dum opifices non tantum in multam noctem, quae festum praecedit, sed ipso adhuc mane per aliquot horas laborant etc.

2. Altera praecepti pars violatur, dum quis absque legitima ratione sacrificium Missae vel etiam notabilem ejusdem partem omittit, nec non ubi eidem absque omni prorsus devotione assistitur.

Molestiam haud minimam facessunt, qui prae mera incuria vel somnolentia identidem justo tardius comparere solent, ita ut vix unquam integrum sacrificium excipiant. Et plerumque quidem non illi, qui ab Ecclesia longe distant, sed qui eidem proximi sunt, de hac tarditate notantur.

Saepius quaesitum fuit, utrum fideles *in ipsa Ecclesia sua parochiali* publicis sacris interesse teneantur. Et antiquitus quidem id severe praeceptum fuerat; saeculis tamen posterioribus per decreta Pontificia permissum fuit, ut huic officio etiam extra Ecclesiam parochialem satisfieri queat. Attamen prout ex actis Concilii Trid. patet Sess. 22. de celebr. Miss. et Sess. 24. c. 4. de ref., Ecclesia vehementer exoptat, ut fidelis populus diebus saltem dominicis et in festis majoribus propriam parochiam frequentet, ibique praeter reliqua sacra, ubi commode fieri potest, etiam verbum DEI excipiat. Et sane res est pessimi ominis, si oviculae derelicto pastore suo diebus festis huc illuc discurrunt. Praeterquam quod tales, dum ad pascua aliena deflectunt, in doctrina salutis plerumque jejuni maneant, etiam multis magnisque vitiorum illecebris implicantur tum in ipsis locis celebrioribus, ubi per diem commorantur, tum in transitu et reditu ex illis. Atque exinde curatores animarum praesertim illis in communitatibus parum solatii experiuntur, quae urbi vel oppidulo cuidam adjacent.

3. Sed absit, ut quis, dum neglecto Ecclesiae spiritu solam praecepti literam observat, officio suo se penitus

satisfecisse arbitretur. Postquam Ecclesia dies istos cultui divino assignavit, utique jam ipsa ratio jubet, ut eosdem huic cultui religiose impendamus. Insuper in plerisque dioecesibus specialia statuta extant, quibus abusus festorum celebrationi adversantes districte prohibentur. Imo etiamsi ejusmodi statuta desint, pios tamen ac morigeros filios omnino condecet, ut praeter *legem stricte talem* etiam mentem atque intentionem optimae matris suspiciant revereanturque. Hinc non desunt theologi, qui peccatis, quae die festo committuntur, notam specialis malitiae assignant. Attamen generatim haec assertio neganda videtur, nisi forte flagitium tali die commissum directe in contemtum auctoritatis ecclesiasticae, occurrentisve mysterii, vel cum magno aliorum scandalo, ad turbandam illorum devotionem etc. patratum fuerit.

4. Demum eruitur, quid de choreis, spectaculis aliisque periculosis oblectationibus censendum sit, quae frequenter diebus festis institui solent. Etiamsi honesta mentis relaxatio hos dies minime dedeceat, oblectamenta tamen, de quibus mox dixi, plerumque ita comparata sunt, ut festorum sanctitati summopere adversentur, quippe quae non raro cultui divino, praesertim pomeridiano necessarium tempus surripiunt, et plerumque cum effrenata morum licentia conjunguntur, qua fit, ut aeque in DEI ipsius offensam ac in scandalum proborum cedant. Quare videant, quid divino Judici aliquando responsuri sint, qui ejusmodi profanationes temporis DEO sacrati disponunt ac promovent!

5. Generatim tum singulorum tum totius reipublicae christianae plurimum interest, qua ratione dies festi transigantur. Hinc pastores pro viribus instare debent, ut tum praecepto tum intentioni Ecclesiae pie obsecundetur. Et sane quantum de opera tua bene collocata tibi gratulari

poteris, ubi communitas tibi demandata praeter sedulam officii divini frequentationem ex brevi intervallo sanctissima Sacramenta repetit, et eliminatis abusibus talibus exercitiis occupatur, quae tum animum tum etiam corpus ipsum veraciter restaurent! *) E contrario quae mala mox communitatem inundabunt, ubi lethale circa religionem frigus, neglectus sacrorum, crassa officiorum inscitia et ingravescens morum corruptio dies istos profanant, et ex hac ipsa profanatione horrendum in modum augentur! Non temere aliquis asseverat, ex modo, quo unusquisque dies sacros celebrat, totam illius moralem indolem et conversationem dignosci posse. Hominem pium pie, frigidum frigide, et vitiosum turpiter haec festa occupabunt. Idem de tota communitate obtinet.

Nostra aetate abusus, quibus festa profanantur, proh dolor! nimis frequentes sunt. Plurimis in ipsam adeo consuetudinem abiit, ut per totam hebdomadem DEUM non tam atrociter offendant, ac recurrente die dominica. Corpus ad inanem pompam exornatur, utique non propter DEUM, sed ad vanam sui ostentationem, vel omnino ad alios fors in ipsa Ecclesia ad libidinem provocandos; suspenduntur labores et opificia, sed saepe ideo tantum, quo liberius Baccho et Veneri litari queat, unde quam plurimi ad explenda munera status sui nunquam minus apti reperiuntur, quam ubi dies festus praecessit. Unde tum exprobrationes tum minae, quae per Prophetas, praesertim per Ezechielem Judaeis ob violata sabbata toties ingeminatae fuerunt, nimium quantum etiam plurimos ex nostris petunt. „*Ecce ego projiciam vobis brachium, et dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum, et assumet vos secum.*“ Mal. 2, 3.

*) Qua ratione pastor festorum sanctitatem et cultum DEI tam publicum quam privatum hisce diebus promovere possit, ad artem pastoralem remittimus.

§. 222.

De rebus divinis atque DEO sacratis.

1. Plerique ex recentioribus post officia immediata erga DEUM de illis agunt, quibus divino Mediatori JESU Christo obstringimur. Ast id supervacaneum duco; cum enim in JESU Christo duplicem quidem naturam, sed unam tantum eamque *divinam personam* revereamur, ea omnia, quae hucusque de immediato cultu Divinitatis attuli, etiam de divinissimo Redemtore valent. Quare titulus infinitus urget, ut etiam ipsi indubitatam fidem, invictam fiduciam ac impensissimam charitatem deferamus, utque sensus istos tum publice tum privatim devotissime contestemur. Ne igitur omnia, quae hucusque tum de virtutibus theologicis tum de cultu DEI dicta sunt, de novo percensere cogamur, his omissis ad ea officia descendimus, quae nobis erga divinas DEOque sacratas res incumbunt.

2. Itaque si erga DEUM ipsum, et quem misit, JESUM Christum charitate vera et filiali afficimur, etiam omnes illae res atque institutiones sanctae nobis ac venerabiles erunt, quas DEUS vel ipsusmet et immediate in nova salutis oeconomia disposuit, vel quae auctoritate Ecclesiae ad cultum DEI dicatae fuerunt. Inprimis igitur doctrina revelata, novi Foederis Sacramenta et hierarchia divinitus instituta specialem venerationem sibi deposcunt. Unde, quod revelatam doctrinam attinet, certe summa foret perversitas, siquis verbum DEI contra sensum Ecclesiae ad privatum suum genium detorqueret, illoque qua demum cunque ratione abuteretur. Imo *ipsa verba* divini codicis omnes indignas accommodationes allusionesve vehementer refugiunt. Vid. Trid. Sess. 4. de usu Ss. libr.

3. Quantam reverentiam Sacramenta expetant, tum ex divina eorum institutione, tum ex eorundem indole atque

ubertate liquet, quippe quorum aliqua ad consequendam salutem prorsus necessaria, et quae universim perennes gratiarum fontes sunt, per quos indigentiis ac infirmitatibus nostris abunde providetur. Prae reliquis sanctissimum mysterium Eucharistiae cultum plane divinum petit, utpote quod non tantum uberrimas gratias, sed ipsum gratiae auctorem JESUM Christum vere, realiter et substantialiter continet. Sane quos demum intimae pietatis devotionisque sensus divinum hoc mysterium nobis ingerere deberet, si illud saepius consideraremus! Scilicet in hoc summo divinae charitatis mysterio non solum mentes nostrae dulcissimo epulo recreantur, et sacrificium crucis quotidie recens exhibetur, sed etiam extra sumtionem et sacrificium Christus semper praesens existit, ita ut eum veluti fratrem, amicum, advocatum ac bonorum omnium fontem, quotiescunque libuerit, adire, atque fiducialissime cum ipso conversari liceat.

Quis non summopere doleat, quod tanta christianorum pars, quibus ceteroquin de vera Christi praesentia certissime constat, in visitando suscipiendoque tanto mysterio adeo segnes et frigidi conspiciantur, ita ut non pauci erga obviam imaginem majori fiducia et devotione afficiantur, quam erga divinum Redemtorem in altari vere praesentem? Ast materiam dolendi infinities adhuc majorem sacerdotes illi praebent, qui non tantum per integrum diem Christum in Ecclesia praesentem ignorare videntur, sed in ipsa quoque celebratione Missae tam praecipitanter ac luride agunt, ut populo christiano scandalum, aut fors ipsam suspicionem infidelitatis moveant.

4. Non minus hierarchia divinitus instituta una cum potestate tum ordinis tum jurisdictionis, quae sacerdotio novae legis concessa fuit, et demum quidquid DEO sic disponente ad regnum gratiae spectat, singularem venerationem meretur. Omnis horum contemtus vel abusus, qui

admittitur, in DEUM ipsum tendit. Nimirum, ut Redemtor ait, „*qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.*“ Luc. 10, 16.

De cultu religioso Sanctis eorumque tum imaginibus tum reliquiis adhibendo inferius dicetur.

5. Ast praeter instituta proxime divina etiam illae tum res tum personae ad praecipuam reverentiam nos provocant, quae per Ecclesiam a communi massa selectae, atque DEO et immediato ipsius cultui speciatim sacratae sunt. In hunc censum referimus inprimis homines vel clericatu insignitos vel DEO per votum solemne dedicatos; tum vero templa et alia pia loca, quibus auctoritas Ecclesiae aliquid sanctitatis constituit; item sacra vasa et utensilia, praesertim quae immediate ad peragenda divina mysteria adhibentur, et quae propterea singulariter consecrari solent, e. g. calices etc. Denique huc reducimus ecclesiasticas benedictiones, sacros ritus et ea omnia, quae *sacramentalia* dicuntur. Inter ipsos ethnicos res atque personae ad divorum cultum deputatae nullo modo violandae credebantur, ita ut, qui contra illas quidpiam tentassent, notam summae impietatis incurrerent. Quanto major ergo reverentia a nobis exigitur, qui revera in regno gratiae versamur! Ast longum foret haec singula fusius pertractare. Unde nonnisi generale principium statuimus: Sancta sancte! Et quidem quo propius unaquaeque res divinum regnum aggreditur, eo majorem a nobis reverentiam exposcit.

§. 223.

Cultus DEI domesticus.

1. Non minus condecens est, ut cultus DEI, cui Ecclesia tam ferventer incumbit, intra domesticos etiam parietes vigeat. Cum enim unaquaeque familia in unam quo-

dammodo personam coalescat, sane justissimum erit, ut junctae omnium vires etiam ad officium prae reliquis grave, ad immediatum DEI cultum concurrant. Insuper cultus iste ab insigni quoque *utilitate* commendatur. Etenim praeterquam quod exinde pius religionis sensus atque orandi studium plurimum foveri soleat, multae etiam morum corruptelae arcentur, et totus familiaris convictus intimior evadit.

Repeto, quod §. 201. innui; etiamsi rosarium finito labore diurno plerumque multis cum distractionibus recitari soleat, iis tamen in aedibus, ubi haec devotio nullo die omittitur, plerumque plus probitatis invenies, quam ubi omnis cultus domesticus in desuetudinem abiit.

2. Hunc cultum constituunt tum devotae comprecationes, tum pia lectio et colloquia ad aedificationem facientia. Praecipue mos ille commendari meretur, quo pater vel mater familiae doctrinam in Ecclesia exceptam cum suis repetit, atque eorum captui magis accommodare studet.

E contrario res est pessima, ubi cultus domesticus *in clandestinos conventus* degenerat, id est, siqui sunt in communitate, qui vel mysticismo vel erroneis opinionibus imbuti reliquos ad se attrahunt, dumque in hisce conventiculis vel sacra biblia vel alia scripta ex suo genio interpretantur, illos erroris sui complices faciunt. Revera haec privatorum audacia nostra tempore haud infrequens esse dicitur.

Caput III.

Peccata charitati et cultui divino opposita.

§. 224.

Odium et formalis contemtus DEI.

1. Nimis prolixum foret omnia enumerare vitia, quibus genuina DEI charitas atque cultus illi exhibendus

evertitur. Unde potissima tantum adducemus, quae his officiis opponuntur. Et inprimis quidem lex negans absolute prohibet, ne cultum et amorem soli DEO debitum rei cuicunque creatae impendamus, et nequis DEUM positive contemnat. De prima transgressionis specie jam §. 175. egimus; restat igitur, ut de contemtu DEI quaedam adjiciamus.

2. Equidem, ut §. 102. vidimus, omne peccatum aliquem DEI contemtum involvit; unde ex communi theologorum sententia etiam habitus charitatis per omne peccatum lethale destruitur. Sed praeter hunc interpretativum seu practicum contemtum DEI datur etiam alius, quem *formalem* dicunt, nempe dum quis DEUM directe odio habet et aversatur. Atque hoc DEI ipsius odium et formalis contemtus ejus tantae atrocitatis est, ut in regno impietatis non tam peccatum, quam potius monstrum atque portentum malitiae vocari debeat. Imo mens DEO vel parum addicta vix sibi persuadebit, fieri posse, ut homo sui compos ad tantam impietatem protrudatur. Ast nihilominus fuerunt et sunt adhucdum complures, qui de hac immani perversitate notari merentur. Tales sunt, qui directe et proxime DEUM ac unigenitum ipsius Filium abhorrent; quidquid ipsius cultum concernit, cum nausea aspernantur, ipsius consiliis pro viribus se opponunt, imo hunc Divinitatis contemtum sibi honori ducunt, et dummodo possent, ad regnum divinum funditus evertendum parati forent. Praecipue hoc perversitatis monstrum virus suum despumare solet, ubi animus vel felici rerum successu inebriatus DEO, quasi insultat, vel ingruente magna calamitate contra ipsum, tamquam malorum vindicem, furore satanico infremiscit *).

*) Cf. Triumph der Philosophie 1. Bd. S. 92 u. folg. über das gottlose Wirken und das schauerliche Ende Voltaires.

3. Multo frequentius odium istud et formalis contemtus DEI *remotius* exercetur; dum scilicet homines a DEO aversi de cultu ipsi adhibito tristantur, eundem impedire satagunt, divina mysteria et sacerdotium omni modo contemnunt, sacra rident etc. Praesertim fastidium illud, imo odium, quo plurimi *sacerdotium* aversantur, plerumque formalem ipsius DEI contemtum innuit. Ejusmodi homines equidem offensiones atque defectus, quales utique etiam inter sacerdotes reperiuntur, obtendunt; attamen dum *totum sacerdotium* calumniantur, revera odium ipsius religionis produnt, et Christum ipsum spernere convincuntur. Luc. 10, 16.

Scilicet haec aversatio ordinis sacerdotalis aliud non est, quam perdurans conflictus principis tenebrarum cum Evangelio. „*Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.*" Joann. 15, 19.

4. Ubi hic idem DEI et sacrorum contemtus exterius manifestatur, id vel verbis aliisque aequivalentibus signis, vel factis contingit; unde blasphemia et sacrilegium resultant.

Ne materiae sibi affines nimis discerpantur, sequentibus §. §. non ea tantum vitia refero, quae stricte *legi neganti* opponuntur, sed quaedam etiam, quae contra legem ajentem, vel contra alios quoque titulos pugnant, e. g. contra charitatem proximi.

§. 225.

De blasphemia directa.

1. Blasphemia definitur, esse locutionem vel expressionem contumeliosam contra DEUM, atque non tantum verbis, sed etiam aliis signis aequivalentibus committi potest, e. g. calamo, indecentibus gestibus, quibus odium et contemtus DEI exprimitur etc. Dividitur porro in *sim-*

plicem et *haereticalem*, seu per quam simul aliquod dogma fidei negatur. Alia ejusdem divisio est, utrum *proxime* vel *remotius* in DEUM proferatur, dum e. g. aliquis contra res sacras, contra sacerdotium etc. contumeliose loquitur. Denique ingens discrimen est, utrum quis *directe* sacrorum contemtum intendat, an vero *indirecte* tantum sacratis nominibus abutatur, e. g. ad alios terrendos etc., quin contra res divinas formalem contemtum spiret. Primo igitur de directa blasphemia.

2. Itaque blasphemia directa, qua DEUS proxime et quidem *formaliter et ex proposito* impetitur, est certe peccatum atrocissimum, utpote quod tantis titulis tanta cum ferocia adversatur. Hinc ex consensu omnium nulla datur parvitas materiae. Verum etiam in *consideratione subjectiva*, nisi fors aliqua mentis absentia excuset, tales injuriae summam impietatem ostendunt. Quid enim animum ferociorem et ab omni religione magis alienum testari potest, quam siquis DEUM ipsum proxime ac directe tali modo lacessit? Hinc merito etiam leges civiles contra tantam ferociam armantur. Summi imperantes hanc erga blasphemos vindictam non tantum laesae Divinitati, sed etiam sibimet ipsis ac publicae saluti debent; vel quae ab hujusmodi hominibus timenda non sunt, qui DEO ipsi insultare haud reformidant?

Ceterum etiam in hac materia mentes piissimae ingentes non raro tentationes experiuntur. De his Oberrauch inquit: „*Cave, ne de blasphemia eos condemnes, qui vel daemonis immissionibus vel imaginibus vehementis phantasiae exagitati horrenda de DEO et rebus sacris non raro cogitant, ita ut hisce satis refragari non posse videantur. Hi enimvero talia patiuntur potius, quam agunt, et ab omni consensu mentis remoti manent, licet sensus interior talia amplecti plane videatur. Talibus jam nullatenus consulendum, ut has cogitationes actu contrario superare ni-*

tantur; sic enim furor ejusmodi irritatur magis, quam sopitur. Potius talia leviter contemnere, et se strepero aut industrio negotio occupare maxime opportunum erit."

3. Quodsi vero blasphemiae ore prolatae tantam malitiam involvunt, quid demum erit, si tales nefandae contumeliae contra DEUM et JESUM Christum literis consignantur, atque exquisitis ingenii artibus excultae quaquaversus, imo per plures generationes ceu impietatis vexillum libere volitant? Atque non tantum auctores, sed etiam illi horrendam scelerum segetem sibi coacervant, qui ejusmodi scripta imprimunt, vendunt atque divulgant *).

4. Verum etiam illae blasphemiae, quae proxime in res sacras proferuntur, ex parte materiae oppido graves censeri debent, et siquidem deliberate fiant, multam animi depravationem ostendunt. Atque quo sacratiores sanctioresque res illae fuerint, quae tam indigne impetuntur, eo magis tales contumeliae detestandae veniunt. Imo cum omnia, quae ad regnum gratiae spectant, summam sibi venerationem deposcant, quodvis probrum illis directe illatum valde grandescit. Quodsi talia non sat deliberate, sed praecipiti ira, per ebrietatem etc. fieri contingat, generales regulae imputationis attendantur.

*) Quis non doleat, nostra aetate non solum universam Europam libris impiissimis inundari, sed a bibliopolis anglicis et gallicis in ipso *regno mexicano* tabernas librarias erectas fuisse, ubi juxta catalogum ab ipsis editum opera Voltairii, Condorceti, Volneyi, Thomae Paynii, Frereti, et his similia quaquaversus divulgantur! Ita scilicet vere accidit, quod veteres poëtae de gigantibus finxerant, qui, ut coelum expugnarent, tentavere humeris monti superaddere montem. Vid. Staatsmann 1825. S. 253.

§. 226.

De blasphemia indirecta.

1. Plerumque illi, qui de DEO et rebus sacris indigne loquuntur, non formalem Divinitatis contemtum intendunt, sed ejusmodi verbis solummodo vel ad exprimendam iram vel etiam ad jocos et facetias abutuntur. Hunc abusum theologi *indignam usurpationem sacrorum nominum* dicunt. Absque dubio sub indigna hac usurpatione saltem indirectus sacrorum contemtus latet; qui enim sacris tali modo abutitur, hoc ipso animum valde irreverentem ostendit, atque sanctissima nomina, Sacramenta, crucem etc. haud parum inhonorat.

2. Et is quidem, qui divinis sacratisque nominibus ad exprimendam iram vel ad imprecationes abutitur, ex recepto loquendi usu *maledicta* profert *). Hunc in finem non tantum nomina sacrata, sed etiam talia adhiberi solent, quibus aliquid horroris inest, e. g. daemonis, tonitrui etc. Ratio horum abusuum plerumque est, quod ejusmodi homines tum semet ipsos nihil horum vereri ostendant, tum vero ad terrendos alios atque ad exprimendam iram his verbis nihil efficacius arbitrentur. Hinc patet, cur praecipue animi juveniles, viri militares et generatim homines inculti huic vitio assuefiant.

3. Plurima sunt, ex quibus talis nominum tum sacro-

*) *Maledicere* in divinis literis frequenter idem exprimit, ac alicui malum quoddam, vel promeritam poenam tum intentare, tum etiam actu inferre. In hoc sensu e. g. DEUS serpenti Gen. 3, 14., et Christus infructuosae arbori maledixit. Marc. 11. Idem fere maledictio, quam Noë in Canaan protulit, aliaeque malorum intentationes innuunt, quas vetus Testamentum iterato commemorat. Pari modo maledictio hinc inde *execratorium juramentum* denotat.

rum tum horribilium usurpatio redargui debet. Praeterquam enim quod ejusmodi homines animum irae impotentem ostendant et charitati fraternae desint, praesertim dum aliis imprecantur, illi, qui *verbis sacratis* hoc modo abutuntur, certe reverentiae illis debitae plurimum detrahunt. Verum etiam, qui daemones, tonitrua aliaque ad horrorem facta effutire amant, mentem parum religiosam, vesanam quamdam animositatem et indignum rerum formidandarum contemtum produnt. Ad experientiam provoco, annon illi, qui abusum hunc sibi familiarem fecerunt, etiam sensu religionis, et vix non omni timore DEI carere animadvertantur. His denique ratio scandali addenda venit; homines enim probi, dum talia audiunt, valde contristantur; imbecilles vero, maxime juniores hanc impiam eloquentiam facile addiscunt. Vel interroga singulos, quos hoc vitio irretitos inveneris, an non aliorum exemplis illud didicerint. Unde praesertim parentes et patresfamilias culpandi sunt, ubi hanc maledicendi consuetudinem fovent.

Aliqui has rerum sacrarum horribiliumve usurpationes mutilare et varie detruncare solent, atque hoc ipso vivaciorem utcunque religionis sensum ostendunt, utpote qui voces integras proferre timent. In his ergo tum nota iracundiae, qua fors laborant, tum ratio scandali considerari debet, quod pro loci consuetudine ex verbis etiam detruncatis non raro nascitur.

Alia quaestio est, qualis culpa illorum sit, qui tempestati vel aliis casibus a DEO immissis maledicunt. Sane cum aëris intemperies et ejusmodi casus ex dispositione divina accidant, talia maledicta proxime contra DEUM ipsum proferri videntur. Attamen miselli ruricolae, quibus hoc peccatum haud infrequens est, tum ob simplicitatem tum ob imperfectionem actus, praesertim si alias *bonae indolis* sint, a *peccato lethali* plerumque excusari possunt.

4. Ex omnibus patescit, illos, qui maledictis *admodum contumeliosis* assueti sunt, sub gravi obstrictos esse, ut hanc pessimam consuetudinem deponant. Etiamsi enim mera assuetudine vel ira abrepti talia proferant, ii tamen a peccato gravi neutiquam excusantur, qui prorumpentem naturam coërcere et habitum adeo indignum desuescere omittunt.

§. 227.

Continuatio.

1. Restat, ut culpam illorum paucis expendamus, qui non quidem *directe* seu in formalem contemtum religionis, sed tantum ex animi levitate, seu ut tum se tum alios exhilarent, divina mysteria, sacros ritus, textus sacrae Scripturae etc. in ludibrium vertunt. Jam dubio caret, quin ejusmodi lusus et irrisiones a rebus sacris procul esse debeant. Et sane mens vere devota sancta nunquam non sancte tractabit. Unde etiam hic sacrorum abusus animum parum reverentem testatur, et plurimum confert, ut res divinae tum in nobis tum in audientibus pedetentim vilescant. Insuper ubi textus vel sacri ritus taliter explosi postmodum in peragendo divino officio recurrunt, imaginatio nostra mox ad auditas facetias deflectet, et devotio plurimum impedietur.

2. Et haec quidem obtinent quoad lusus ingenii ceteroquin honestos. Ast multo magis adhuc peccant, qui textus vel res sacratas ad allusiones omnino turpes vel obscoenas detorquent. Qui denique *cum formali sacrorum contemtu* ingenium suum tam indigne exercent, culpam semper gravem sibi consciscunt.

Etiam quoad ejusmodi lusus et facetias circa sacra praecipue nos sacerdotes cautos esse oportet. Prae reliquis in hac materia valet, quod aliquis ex Ss. Patribus ait: Nugae laicorum sunt in ore sacerdotis blasphemiae. Cf. Trid. Sess. 4.

§. 228.

De Sacrilegio.

1. Sacrilegium dicitur indigna tractatio rei sacrae, dum scilicet circa illam aliquid fit, quod reverentiae eidem, *qua sacrae*, debitae adversatur. Atque hanc reverentiam res aliquando per se, aliquando autem per positivam ordinationem expetunt. Dum de gravitate hujus peccati quaeritur, multum quidem interest, utrum sub indigna Sacrorum usurpatione contemtus *formalis*, vel nonnisi *indirectus* lateat; generatim tamen malitia eo major censetur, quo sacratior est res, qua quis abutitur, et quo indignius illa tractatur.

2. Dividitur sacrilegium in *personale, locale* et *reale*. Sacrilegium *personale* praecipue committitur, dum quis vel majori ordine initiatus, vel vi voti ad castitatem obstrictus in peccatum luxuriae consentit. Ejusdem impietatis reus est, qui sciens aliquem DEO taliter dicatum in hoc turpissimo peccato complicem habet, vel turpe desiderium circa illum admittit.

Etiam aliae laesiones hominum clericatui insertorum sacrilegae dicuntur, quae nempe eorum sublimi conditioni *qua tali* repugnant, e. g. verberatio injusta etc.; non vero eorundem circumventio in negotiis quotidianis etc., nisi talia fors cum formali status sacri contemtu fiant.

3. Ad sacrilegium *locale* actus indecentes referuntur, qui in Ecclesia aliisque sacratis locis fiunt, atque in eorundem contemtum cedunt. Inter ejusmodi contaminationes prae ceteris eminent culpabile homicidium, aut injuriosa sanguinis effusio in loco sacro, et voluntaria effusio humani seminis ibidem facta. Ubi de tali profanatione *notorietate facti vel juris* constat, locus ipse pollutus censetur, ita ut reconciliatione indigeat. Atque ejusmodi templorum vio-

lationes nimium quantum ingravescunt, si ibidem sanctissimum Sacramentum asservatur.

5. Denique ad sacrilegium *reale* spectant profanatio et usus superstitiosus vasorum, aquae baptismalis, oleorum etc., quibus aliqua consecratio vel specialis benedictio obtigit; violenta aut furtiva ablatio rerum sacrarum, vel etiam talium, quae profanae quidem, attamen *sub jure* Ecclesiae existunt; et praesertim abusus Sacramentorum, nec non Simonia.

§. 229.

Continuatio de abusu Sacramentorum.

1. Quo dignior unaquaeque res existit, eo magis omnis illius abusus atque contemtus prohibetur. Hinc praecipue sanctissima novae legis Sacramenta omnem usum sacrilegum abhorrent. Tales abusus tum ex parte ministri illa dispensantis, tum ex parte fidelium eadem suscipientium committi possunt. Et minister quidem Sacramenta dispensans hujus sceleris reatum subit, dum vel in statu peccati lethalis absque praemissa reconciliatione ea ministrat, vel dum culpabiliter tanta mysteria indignis distribuit, pretiosissimas margaritas ante porcos mittens; *culpabiliter* inquam; si enim e. g. ex sola confessione sciat, illum, qui ad Eucharistiam accedit, esse indignum, eundem neutiquam repellere fas est. Pariter sacrilegii accusatur, qui culpabiliter valorem et integritatem Sacramenti periculo frustrationis exponit, e. g. dubiam materiam vel formam adhibendo. Illi vero, qui Sacramentum aliquod suscipiunt, hoc reatu implicantur tum susceptione indigna tum voluntaria frustratione ejusdem.

Haec tamen ita dicta sint, ut in recipiendis dispensandisque Sacramentis *nimis anxii* non simus. Etenim per *nimium rigorem* aliud non efficitur, nisi ut usus Sacramentorum, poenitentiae praesertim et Eucharistiae, vix non penitus in-

tercludatur. Scilicet, ut Oberrauch observat, quantacunque sit mysteriorum nostrorum sanctitas, ea tamen a Christo *pro hominibus* instituta et ita comparata sunt, ut eorum usus in conditionem hominum infirmorum cadere possit.

2. Verum prae omnibus reliquis illud sacrilegium prominet, quod in divino sacrificio, et in Eucharistia immediate contra JESUM Christum committitur. Sive Christum ipsum, sive infinitum charitatis affectum attendamus, quocum in hoc mysterio praesens esse dignatur, omnis abusus ejusdem atrocitatem prorsus horrendam involvit. Et frequentissime quidem tantum sacrilegium per indignam administrationem et susceptionem hujus Sacramenti committi solet. Quapropter nunquam obliviscamur, quae Apostolus jubet: „*Quicunque manducaverit hunc panem vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.*“ I. Cor. 11, 27. etc. His vestigiis inhaerens Ecclesia semper vehementissime institit, ne quis gravis delicti nondum expiati sibi conscius tantum mysterium conficere vel sumere attentet. Praesertim Conc. Trid. Sess. 13. c. 7. sacerdotibus imperat, ut, siquem graviter deliquisse contingat, semper confessio sacramentalis huic sacrificio praemittatur. Quodsi talis ex defectu confessarii Sacramentum poenitentiae suscipere nequeat, interea contritionem, quantum potest, perfectam eliciat, et *quamprimum*, seu ex communi interpretatione intra proximum triduum, confiteatur.

Sed non desunt exempla abusuum adhuc multo graviorum, dum effractis templi foribus divinissimum mysterium a furibundo praedone vel pedibus calcatum, vel canibus objectum omnique injuriarum genere cumulatum fuit.

§. 230.

De Simonia.

1. Sacrilegiis merito etiam *Simoniam* annumeramus, quae nomen suum a nequissimo Simone mago nacta, Act. 8, 18. seq., juris vel *divini*, vel *humani* dicitur *).

2. Itaque Simonia, quae proxime *juri divino* adversatur, in eo consistit, quod quis donum DEI, seu aliquid ad regnum gratiae pertinens, pro pecunia aut simili pretio temporali sibi comparare, vel alteri tradere intendat, ita, ut praecise pro tali pretio, non interveniente alio justo titulo, possideatur. Hoc porro pretium vel *munus a manu*, vel *munus a lingua*, vel *ab obsequio* vocari solet. Atque hoc peccatum recte ex toto suo genere grave dicunt, eoquod abusus nunquam non gravis intercedat, si quis res sacras qua tales pecuniae aequiparare, et quasi venales tractare velit **).

3. Ad Simoniam *juris humani* refertur omne pactum, quod, licet natura sua non sit simoniacum, ob Simoniae tamen speciem vel periculum ab Ecclesia prohibetur. Praeterquam enim, quod sub hujusmodi conventionibus non raro

*) Ut exsecrandum hoc vitium magis arceretur, Ecclesia complures quoque alios actus prohibuit, qui Simoniae vel affines, vel saltem aliquatenus suspecti videbantur.

**) Intrinsecae huic malitiae non raro pessimae circumstantiae, et sequelae accedunt. Quae praesertim calamitas foret, si sacra munera et beneficia in praedam avaritiae, aliorumque perversorum affectuum devenirent, ita, ut non dignissimo, sed ditissimo cuique obtingerent, atque turpis circa illa quaestus exerceretur! Unde non mirum, si aetate media, qua haec lues longe lateque grassabatur, simoniacos in eandem cum haereticis classem relatos, severissimisque poenis subjectos fuisse legimus.

veri nominis Simonia lateat, Ecclesia jam ipsam tanti criminis speciem exhorret, et eliminare nititur *).

4. Ulterius Simonia in *mentalem* et *conventionalem*, et haec denuo in *puram*, *mixtam* et *realem* dividitur. *Mentalis* vocatur, quando perversa isthaec intentio nec aperte nec tacite in conventionem adducta, et parti alteri nullatenus manifestata fuit; secus *conventionalis* dicitur, et quidem *pura*, ubi pactio sic inita ex neutra, *mixta*, si ab una tantum, *realis*, si ex utraque parte executioni est data. Denique Simoniam *confidentialem* nuncupant, si quis beneficium sibi oblatum, collatumve, vel jam possessum alteri cedit, aut aliud illi procurat, addito pacto expresso vel tacito, ut talis idem beneficium vel procuranti, vel alteri resignet, aut sine interventu legitimae auctoritatis certos exinde fructus, vel annuam pensionem persolvat **).

§. 231.

Actus, qui non sunt simoniaci.

1. Nunc actus aliquos recensere juvat, qui, etiamsi

*) Ceterum prohibitio generalis, ne spiritualia pro spiritualibus dentur, tantum ad beneficia extenditur. Unde Simoniam non committunt, qui e. g. calicem pro calice dant, vel reliquias pro reliquiis etc. Vicissim vero Ecclesia plura alia ob suspicionem vel periculum prohibuit, e. g. venditionem officiorum sacristae vel oeconomi Ecclesiae, acceptationem munusculi, quod occasione examinis pro Ss. Ordinibus, vel pro cura offerretur etc. Denique notandum est, res temporales, quibus *aliquid spirituale* annexum est, equidem vendi posse, ita tamen, ut *ratione sacri* pretium non augeatur. E. g. dum castrum venditur, cui jus patronatus inhaeret.

**) Poenas ab Ecclesia in Simoniam taxatas jus sacrum refert suntque: *a)* Simoniace conferens aut accipiens beneficium ipso facto excommunicatur; *b)* talis collatio est nulla; *c)* sic provisus est inhabilis ad illud beneficium obtinendum etc.

aliquam Simonae speciem prae se ferant, ab illa tamen immunes sunt. Huc inprimis spectat, si quis ad sacrum aliquod munus vel beneficium adspirans proventuum commodorumque temporalium equidem rationem habet, ita tamen ut non solum omne indignum mercimonium absit, sed ut etiam commoda isthaec non rationem principaliter moventem, sed nonnisi secundariam, vel tantummodo *conditionem sine qua non* constituant. Certe vix ullus beneficium aliquod in se susciperet, ex quo sustentari haud posset; ast exinde perperam inferretur: „*Ergo omnes propter solos proventus beneficia expetunt.*"

2. Similiter a Simonia immunes sunt distributiones illae, quae vel ex pia fidelium consuetudine, vel ex intentione fundatorum, vel demum ex dispositione Ecclesiae pro sacris functionibus praestari solent, utique non *qua sacrorum pretia,* sed qua piae elargitiones, quibus Ecclesiae ministri congrue sustententur. „*Dignus est enim operarius mercede sua.*" I. Tim. 5, 18. „*Quis militat suis stipendiis unquam? . . . Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant?*" I. Cor. 9, 7. etc. Dum igitur fideles sacrorum ministris hoc modo provident, nonnisi quae sui officii sunt, exequuntur, et vae illis, qui vel pias antecessorum fundationes, vel decimas, vel alia Ecclesiae jura defraudare aut omnino subvertere pertentant!

In hunc censum veniunt proventus viris ecclesiasticis assignati, distributiones pro praesentia in choro, jura stolae, stipendia pro Missis etc. Quod speciatim haec pro *Missis stipendia* attinet, ea tum ex origine tum ex indole sua aliud non sunt, quam portio a fidelibus oblata ad congruam sustentationem sacerdotum. Juvat vero hac occasione meminisse, quid Ecclesia circa illa praeprimis statuerit. Itaque parochis prae-

cipitur: *a)* Ut omni die dominica et quovis festo de praecepto pro commissa sibi communitate Missam applicent; *b)* ut ii, qui aliquo beneficio potiuntur, voluntati fundatorum exacte satisfaciant; et *c)* demum, ut pro receptis stipendiis sine omni defraudatione tot persolvantur sacrificia, quot appromissa fuerunt, utque haec eadem sacrificia tempore condicto, vel saltem intra tempus breve fiant. Pari modo leges ecclesiasticae districte prohibent, ne in accipiendis distribuendisque stipendiis indignus sordidusque quaestus admittatur. Unde quivis sacerdos illi stipendio acquiescat, quod vel per legem dioecesanam vel ex more patrio definitum fuit; stipendia recepta aeque ac persoluta sacrificia in speciali libro accurate notentur, et nullus plura stipendia sibi conquirat, quam quibus intra legitimum tempus satisfacere queat. Praecipue sub gravissimis poenis interdicitur, ne quis obligationem sacrificandi ita in alterum transferat, ut sibi retineat partem stipendii. Praeter constitutiones Urbani VIII., Alexandri VII. etc. huc praesertim facit epistola Benedicti XIV. ad universos orbis catholici antistites data anno 1741.

3. Neque Simoniam committit, qui pro *sacro legitime dato vel administrato* sese gratum exhibet, dummodo haec grati animi obsequia praevie promissa vel oblata non fuerint.

4. Denique etiam illum a Simonia absolvunt, qui dato pretio temporali nonnisi *injustam circa sacra vexam* redemit. Ne tamen haec assertio plurimis abusibus pateat, eam hoc modo restringunt: *a)* Licet taliter redimere injustam vexam circa *jus jam acquisitum*. *b)* Verum ubi de *jure acquirendo* agitur, potes quidem animum exacerbatum illorum oblato aliquo munere aut obsequio demulcere, qui tibi tantum obstare, non vero positive prodesse possunt. Ast *c)* neutiquam illi pretium temporale offerre licet, qui te ad optatum beneficium suffragio et auctoritate sua promovere queat. Et sane si etiam in casu ultimo tale quid

concederetur, Simonia jam nullo modo arceri posset, quia nihil usitatius, quam ut pro innata nobis superbia unusquisque se prae reliquis dignum, et persuasionem superiorum, qui aliter sentiunt, *injustam vexam* arbitretur.

§. 232.

De mysticismo.

1. Si quantum ad amorem et cultum DEO immediate exhibendum *legem ajentem* attendimus, DEUM in *spiritu et veritate* adorare jubemur. Huic officio quoad cultum tum internum tum externum plura iterum vitia adversantur, quorum nonnisi praecipua allegamus. Et quidem ratione *cultus interni* inprimis mysticismus eminet, quo fit, ut homines in sensu suo abundantes omnem DEI cultum imaginariis affectiunculis et piis sensionibus confectum arbitrentur. Et siquidem tales animulae *sibimet ipsis* nimium fidunt, et derelicta Ecclesiae anchora spretisque prudentis directoris monitis in altum feruntur, aliud exspectari nequit, quam, ut turbine debacchantis phantasiae correptae decumanis fluctibus jactentur, donec scopulis illisae misere submergantur. Prae tumultu phantasiae in ejusmodi hominibus ratio conticescit, aliorum consilia contemnunt, commenta emoti cerebri ceu indubitata Spiritus sancti oracula venerantur, atque sic lugendum in modum hianti perditionis vortici imminent. Revera aetas, quam nos vivimus, horrenda hujus delirii exempla protulit.

Si quis alius, certe hujus generis homines summam commiserationem merentur, utpote qui erga DEUM et JESUM Christum tanta cordis teneritudine afficiuntur; ast quia omnis illorum cultus in phantasticos tumultus desinit, in praeceps ruunt. Utique culpa non vacant, quippe qui non tantum ex supina de semet ipsis complacentia consilia saniora spernunt, sed quorum fallax pietas non raro nefandis quoque spurcitiis

foedatur. Ast exinde de novo patet, quantum infallibili auctoritate Ecclesiae indigeamus, quandoquidem affectus ex se piissimi, ubi hac anchora destituuntur, per turbidam tempestatem imaginationis quaqua versus jactitari solent. Non minus confessio sacramentalis exinde de novo commendatur, utpote in qua spiritualem nostram directionem viro ab Ecclesia approbato committimus. Attamen haec omnia frustrabuntur, ubi *humilitas* et *justa de semet ipso diffidentia* deest. Unde etiam ad homines vere devotos a vesanis somniatoribus dignoscendos non datur certius indicium, quam humilitas, qua quis directioni prudentis confessarii acquiescit.

2. Quoad cultum externum pietismus et generatim cultus superstitiosus reprehendi meretur, prout iterato hucusque indigitatum fuit.

§. 233.

De acedia et tepiditate.

1. Acedia *in sensu latiori* torporem et reluctantiam designat, qua quis opera exequenda ob conjunctum laborem vel declinare studet, vel nonnisi cum fastidio peragit. Atque haec reluctantia denuo vel est actus *solius inferioris naturae*, vel ipsam quoque hominis *mentem* inficit. In primo casu, dum nempe acedia in sola corporis viriumque hebetudine, vel in solo sensu ab omni molestia resiliente consistit, ita ut mens officiis suis inhaerere pergat, affectio isthaec non peccatum, sed potius materiam majoris virtutis constituit. Si vero *mens ipsa* quoad officia sibi incumbentia torpore ac taedio afficitur, hanc animi repugnantiam *generalem* vel *specialem* dicunt.

2. Acedia generalis quibuscunque officiis, specialis vero charitati theologicae atque cultui divino opponitur, dum quis vel ob annexas difficultates, vel quia sacra ei quodammodo exosa sunt, praescripta pietatis exercitia cum

taedio, negligenter ac tepide persolvit, vel eadem penitus omittit. Huc igitur spectant *malitia*, qua quis ex sacrorum taedio se vel nunquam natum, vel verae religionis expertem cupit; *rancor*, seu indignatio contra illos, qui nos ad meliora hortantur vel piis exercitiis impensius student; *pusillanimitas*, qua ejusmodi homines, quidquid difficile videtur, horrent atque refugiunt; *desperatio* aeternam salutem consequendi; *torpor* in iis, quae praecepta sunt, observandis; denique *voluntariae evagationes* animi, dum sacra peraguntur.

3. Ubi de gravitate et imputatione hujus vitii quaeritur, sequentia potissimum attendenda videntur: *a)* Ex *quo fonte* haec mentis acedia descendat; utrum ex occulto sacrorum odio, ex improba vivendi ratione etc., an vero ex torpore solius naturae; *b)* atque in hoc casu quousque mens ipsa huic torpori naturali acquieverit, seu in quantum haec a sacris aversio *voluntaria* censeri possit; et *c)* praesertim *quae*, et *qualia officia* aliquis ex hoc taedio dedignatus vel transgressus fuerit. Ex his, ubi ejusmodi casus occurrunt, judicium sat firmum inferri poterit, utrum acedia et diversae species, quibus se exserit, in culpam gravem vel levem imputari debeant.

4. Vitium prae reliquis frequens est *tepiditas* circa sacra. Quot enim in omni hominum conditione inveniuntur, qui cultum DEO proxime impendendum vel penitus negligunt, vel certe parce admodum et remisse persolvunt! Et quod maxime dolendum, illi, qui hoc circa sacra frigore laborant, plerumque nullos exinde conscientiae remorsus persentiscunt. Ast etiamsi ad hunc suum neglectum non attendant, sunt tamen inexcusabiles. Profecto homines etiam mediocri ingenio praediti infinitam DEI excellentiam ignorare haudquaquam possunt; sed cognita dignitate DEI numquid multa philosophia opus est, ut sciamus, tantam

naturam etiam digne colendam esse? Quare etiamsi tales reliqua sua officia utcunque explesse videantur, ingens tamen regni moralis spatium vacuum relinquunt, atque ante Judicis aeterni tribunal de tanto hiatu non parum trepidabunt. Accedunt pessima consectaria hujus tepiditatis. Nam nos ipsi exinde innumeris efficacissimisque gratiarum auxiliis destituimur; alii vero, praesertim si aliqua inter illos auctoritate pollemus, plurimum scandalizantur. Unde etiam divinus sermo ait: „*Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus; utinam frigidus esses aut calidus! Sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.*“ Apoc. 3, 15. Scilicet quemadmodum exemplum talium, qui ceteroquin honeste vivunt, plerumque plus nocet, quam si de aperta improbitate notati forent; ita etiam, qui hac religiosa lethargia decumbunt, prae ipsis sceleratis a seria conversione distare solent.

Attamen haec circa divinum cultum tepiditas confundi non debet cum *spirituali sensuum ariditate.* Nam, vera devotio non in affectione sensuum, sed in *affectu animi* consistit, et saepissime accidit, ut animae prae reliquis piae multo tempore omni sensu destituantur, et quasi exarescant. Tales ergo frustra sibi de vitio ac poenis tepiditatis timent, atque per confessarium suaviter erigi debent, ut viam coeptam impigre prosequantur.

5. Praesertim illi ingentem reatum contrahunt, qui praeterquam quod ipsi cultum DEI negligunt, illum etiam in aliis impedire conantur, eos, qui religioni impensius student, de pharisaica ostentatione vel de mysticismo arguunt, vel quidquid DEO immediate impenditur, ceu rerum temporisque perditionem dolent. Et hi quidem non tantum legem ajentem, sed etiam negantem gravissime violant, atque de hac sua acedia gravissimas poenas luent.

B.

DE OFFICIIS ERGA DEUM EXTRAORDINARIIS.

Caput I.

De jurejurando.

§. 234.

Notio ejusdem.

1. Inter officia extraordinaria praeter *professionem fidei*, de qua §. 165. dictum fuit, *jusjurandum* et *votum* referimus. Et quidem in *sensu latiori* jusjurandum est contestatio alicujus assertionis promissionisve cum provocatione ad certum objectum, cui nos singulariter devinctos sentimus. Atque in hac latiori acceptione homines non tantum per Numen supremum, sed etiam per alia dilecta capita assertiones suas contestari solent; nempe rem illam, ad quam provocant, tamquam novum efficacissimumque sinceritatis et fidelitatis motivum afferunt, ac si dicerent: „*Quam certe rem illam revereor, tam certa est haec mea assertio, vel tam fideliter stabo hisce promissis meis.*“ Unde qui tali modo mentitur aut fidem fallit, praeter reliquos fidelitatis titulos etiam reverentiam laedit, quae objecto, ad quod provocaverat, debetur.

2. Jam facile definimus, quid sit juramentum in sensu stricto acceptum, et in quantum ad immediatum DEI cultum refertur. Est nempe contestatio alicujus assertionis promissionisve cum provocatione ad DEUM. Jurans, si non diserte, saltem tacite profitetur: „*Pro mea erga DEUM fide ac reverentia veritatem dico, vel quod pro-*

mitto, exequar." Unde momentum infinitum, scilicet Divinitas ipsa per hanc provocationem interponitur, adeo ut, qui perfidus existit, immediate DEUM ipsum lacessat.

3. Jam ex allata definitione patet, quandonam jusjurandum *assertorium*, et quando *promissorium* dicatur. Sub alia ratione vel *simplex* dicitur, vel *execratorium*, dum quis pro casu perfidiae directe divinam vindictam in se provocat. Hujusmodi execrationes non quidem essentiam juramenti constituunt; hinc inde tamen adjiciuntur, ut animus jurantis majori adhuc DEI reverentia perfidiaeque horrore corripiatur *).

4. Non minus perspicitur, quis sit finis jurisjurandi; scilicet ut tum assertionibus tum promissis hominum summa, quae haberi potest, certitudo concilietur. Etenim ad primas humani generis indigentias spectat, ut dictis atque promissis hominum firma fides adhiberi possit, idque in negotiis tum privatis tum praecipue publicis. Verum haec eadem fides in praesenti rerum humanarum corruptione saepissime desideratur, et simul nulla vi physica extorqueri potest. Quare aliud non restat, quam ut medium morale prae reliquis efficax adhibeatur. Quid vero mentem vel modice piam magis afficiat, quam viva recordatio sanctissimae justissimaeque Divinitatis, et expressa provocatio ad illam, ita ut veracitas atque fidelitas nostra pondere prorsus infinito urgeatur? Profecto animus, qui nondum omnem religionem exuit, horret ad tantum vinculum, quod interposita DEI ipsius auctoritate obfirmatum fuit.

*) Diversas jurisjurandi species fusius exponit Schenkl: Instit. jur. eccl. P. II. §. 764. seq. De *adjuratione* vid. B. Ligor. Theol. mor. l. 3. Tract. 2.

§. 235.

Necessitas et utilitas juramenti.

1. Ex indole et fine juramenti eruitur, fieri posse, ut fides jurata aliquando *superflua*, aliquando *exitialis*, aliquando autem *necessaria et utilis* censeri debeat. Scilicet superfluum foret jusjurandum, si genus humanum adhuc integrum et incorruptum esset; tum enim aliud non requireretur, nisi simplex assertio: Est, est, vel non, non. Sed hanc beatissimam conditionem post paradisum deperditum nullibi invenimus, praeterquam in fictitiis descriptionibus poëtarum, dum aetatem auream depingunt. Jusjurandum porro in humani generis exitium vergeret, sicubi tanta morum depravatio grassaretur, ut pulsa omni religione nullus superum timor superesset. Tum enim sanctissima fidei oppignoratio ad aliud haud serviret, nisi ut quotidiana mendacia per adjectum sacrilegium in immensum aggravarentur.

2. Demum necessaria et utilis fides jurata erit, si homines corrupti quidem, non tamen penitus depravati existant. Tales enim neque justitiae eousque tenaces esse solent, ut simplici eorum assertioni in omnibus certa fides haberi queat; neque adeo degenerarunt, ut nulla DEI reverentia teneantur *). Revera haec fere consueta tum singulorum tum integrarum gentium conditio esse detegitur.

*) Quapropter si indolem moralem cujusdam gentis vel temporis dijudicare velis, vide, quid ibidem circa juramenta obtineat. Nam quo rarior alicubi jurandi necessitas, et quo major simul fidei juratae sanctitas deprehenditur, eo major quoque animorum candor morumque severitas supponi potest; e contrario autem ubi juramenta in quotidianum fere usum abierunt, eorumque religio parum attenditur, ne dubites, quin ibidem summa quoque vivendi licentia invaluerit.

Dantur quidem exceptiones; plerumque tamen tanta morum corruptio haud invenitur, ut omnis religio eliminata fuerit.

3. In his igitur rerum adjunctis jusjurandum omnino commendari meretur, utpote quod non solum publicae securitati atque saluti egregie consulit, sed insuper nostram reverentiam erga DEUM insigniter testatam facit; qui enim ad confirmanda sua tum asserta tum promissa directe ad DEUM provocat, hoc ipso publice religionem suam profitetur; et simul testatur, se tanta Divinitatis reverentia teneri, ut ejusdem intuitu inter quascunque temporum angustias verax atque fidelis esse velit. Idcirco jusjurandum, siquidem requisitae conditiones adsint, adeo reprobari nequit, ut potius *cultui divino* accenseri debeat. Neque religio christiana illud condemnat; potius Christus ipse confessionem suae Divinitatis solemni quasi juramento confirmare non dubitavit Matth. 26, 63. etc., et S. Paulus iterato tali ad DEUM provocatione utebatur. Rom. 1, 9., II. Cor. 1, 23., ibid. 11, 31., Philipp. 1, 8. etc. Et numquid non DEUS ipse *abundantius volens ostendere immobilitatem consilii interposuit juramentum?* Hebr. 6, 16. etc. Unde quamvis aliqui ex Ss. Patribus aliquamdiu haesitaverint, constans tamen universalis Ecclesiae sententia fuit, jusjurandum, ubi omnes justae conditiones adsunt, et praesertim ubi publicus magistratus illud jubet, christianis neutiquam interdici.

Adversarii illud divini Redemtoris allegant: „*Audistis, quia dictum est antiquis: Non pejerabis, reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per coelum, quia thronus DEI est, neque per terram, quia scabellum est pedum ejus. Sit autem sermo vester: Est, est; non, non; quod autem his abundantius est, a malo est.*" Matth. 5, 33. etc. Similiter S. Jacobus scribit: „*Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare,*

neque per coelum, neque per terram, neque aliud quodcunque juramentum. Sit autem sermo vester: Est, est; non, non; ut non sub judicio decidatis." Jac. 5, 12. Sane argumentum sat grave. Attamen Ecclesia, quae sola divinae revelationis legitima interpres existit, litem jam dudum diremit. Neque rationes desunt, per quas tenor literalis textuum allatorum mitigetur. Nam inprimis ex illius temporis historia abunde constat, quanti abusus inter Judaeos irrepserint, dum vel res obvias Sacramento confirmabant, vel certis quibusdam fallacibusque formulis abutebantur; e. g. quicunque juraverit per templum, nihil est, qui autem juraverit in auro templi, debet etc. Unde hi quoque potissimum abusus perstringuntur, non vero justus usus prohibetur; id quod exinde patet, quod Christus illud, quod simplici assertione abundantius est, non *malum*, sed *a malo* esse pronuntiet. Scilicet in primaeva hominis integritate omne juramentum fuisset superfluum, atque moderna jurandi necessitas *a malo*, seu ex inducta hominúm depravatione descendit; hinc quamdiu haec necessitas perdurat, apertum indicium est, corruptionem illam adhucdum esse superstitem. Quapropter, ni fallor, divinus Redemtor citato loco ideam depingit, quam ubi assecuti fuerimus, omnis jurandi necessitas tolletur; ast quamdiu ab hac celsissima idea distamus, juramentum non quidem prohibetur, attamen *a malo* esse dicitur, utpote quod ex humana corruptione descendit, et simul testatur, nos a christianae perfectionis culmine adhuc multum distare.

§. 236.

Conditiones ad jusjurandum requisitae.

1. Has conditiones sacer textus ita enumerat: „*Jurabis, vivit Dominus, in veritate, judicio et justitia.*" Jerem. 4, 2. Et quidem ad *veritatem* requiritur, ut jurans *a)* nonnisi ea tanto religionis vinculo confirmet, quae, et quatenus eadem perspecta tenet, ac *b)* ut tum in asserendo tum in promittendo verax et sincerus existat. Absit ergo omnis fallacia non sermonis tantum, sed etiam animi.

Quapropter illius, qui juramentum imponit, sensum ac intentionem probe exquirere, et generatim nonnisi in hunc sensum jurare oportet, seu ut communiter dicunt, jurandum est *in animum imponentis.*

2. Sed etiam *in judicio* jurare decet; cui conditioni ut satisfiat, res ipsa postulat, ut juramentum nonnisi causis sat gravibus, et tum quoque cum justa animi praeparatione ac maturitate interponatur. Profecto res est pessima, siqui tanto vinculo ad confirmandas causas obvias et leviusculas abutuntur, vel dum conceditur, ut homines quasi tumultuarie ac frivole ad jurandum accedant.

3. Denique *justitia,* quae tertiam juramenti conditionem efficit, severe instat, nequis fide jurata in ipsius honestatis detrimentum abutatur, dum e. g. addito juramento talia confirmantur, quae absque laesione officii altioris propalari vel promitti nequeunt.

§. 237.

Effectus jurisjurandi.

1. Effectus ex legitimo juramento descendens est gravissima obligatio jurantis, scilicet ut et sinceram limpidamque veritatem fateatur, et quod promittit, fidelissime praestet. Titulus principalis hujus obligationis est DEUS ipse, utpote quem jurans directe contestatur, et cujus infinitam auctoritatem expresse interponit. Quare quisquis vel pejerat, vel fidem taliter oppignoratam fallit, proxime in DEUM ipsum est sacrilegus, et profitetur quodammodo, se omni DEI timore ac reverentia destitui, vel omnino se in DEUM haud credere.

Siquis, prout de juramento latius accepto diximus, non ad DEUM, sed ad aliud objectum perdilectum provocet, e. g. ad fidem suam nobilem vel sacerdotalem etc.; reverentia huic debita urget, ut talis oppignoratio sancta habeatur.

Praeterea ejusmodi contestationes, praesertim ubi per nomen vel ad reliquias alicujus Sancti juratur, plerumque pro juramento stricte tali accipiuntur, eoquod reapse in DEUM desinant. Quod alias formulas attinet, quibus homines ad corroborandam fidem utuntur, praeter tenorem illarum etiam attendendum est, utrum is, qui talem formulam adhibet, jurare intendat, et qualiter hujusmodi obtestationes ex loci consuetudine passim accipiantur usurpenturque. Denique monitione vix indiget, jusjurandum non tantum verbis, sed etiam gestibus et quocunque signo externo rite deponi posse, si mos receptus aut voluntas deposcentis ita determinaverit.

2. Titulus secundarius, quo juramenti sanctitas fulcitur, est pietas toti humano generi exsolvenda, utpote cujus longe plurimum interest, ut hoc demum medio fides certa et immota fiducia obtineri possit. Omne perjurium, prout DEO ipsi maxime injuriosum, ita etiam vulnus quoddam est, quod saluti publicae in re delicatissima infligitur. Accedunt rationes privatae tum ipsius pejerantis tum illorum, qui exinde damno afficiuntur.

3. Cum igitur tot tantique tituli concurrant, quis non ad sanctitatem hujus actus superno quasi horrore perfundatur? *) Atque exinde theologi inferunt, quoad *ipsum jurandi actum* non dari parvitatem materiae, ut adeo, qui interposito sacramento mentitur vel nonnisi ficte aliquid promittit, peccatum semper grave perpetret. Et sane quamvis mendacium per se nonnisi leve occurrat, quem tamen latere potest, DEO atrocem injuriam inferri, siquis ipsius Numine ad contestandam falsitatem abutatur?

*) Revera homines pii, dum ipsis a judice juramentum imponitur, nonnunquam tanto horrore corripiuntur, ut, quamvis omnes conditiones legitimi juramenti adsint, ad illud tamen quasi tremebundi accedant. Et utinam satis cautum foret, ne per jurandi frequentiam hic religionis sensus paullatim obtundatur!

4. Mitius de solutione vel executione *juramenti promissorii* sentiunt. Scilicet jusjurandum promissorium sequitur naturam pacti, quod taliter confirmatur. Consequenter ubi pactum vel nunquam valuit, vel successu temporis valore suo exuitur, etiam adjectum juramentum vel nunquam validum fuit, vel iterum exspirat juxta tritum illud; Sublato principali cessat etiam accessorium. Quapropter obligatio ex tali juramento redundans diversimode tolli potest; nimirum dum vel legitima potestas pactum, quod fundamenti loco inservit, reapse irritat; vel dum in contractibus onerosis exactor prior perfidus exstitit; vel per liberam cessionem, qua exactor jus sibi acquisitum remittit, vel quo demum cunque modo inita conventio vim obligandi deperdat. Ex eadem ratione fieri potest, ut in exequenda fide jurata nonnisi leviter peccetur; siquidem prudenter supponi queat, exactorem quoad ejusmodi circumstantias minutas juri suo non adeo praefracte insistere. Imo plerumque saltem, promittens haud intendit tam arcto sese vinculo constringere, ut ad minutissima quaeque sub gravi teneatur.

5. Ast quamdiu pactum taliter oppignoratum subsistit, et ab exactore urgetur, fidem etiam inter summas temporum angustias servari oportet. Id tum interposita DEI ipsius contestatio, tum etiam salus totius humani generis expetit. Imo etiamsi executio juramenti per aliquod tempus impossibilis fuerit, obligatio tamen reviviscit, quam primum impossibilitas isthaec cessat. Sic e. g. miles ex captivitate redux iterum illius signa sequi obstringitur, cui fidem suam juraverat.

Ipsa historia ethnicorum stupenda fidei juratae exempla refert, inter quae praecipue illud fortissimi Reguli eminet. Et sane quanta temporum calamitas, ubi sanctissima religionis vin-

cula non amplius attenduntur, ita ut etiam optimi principes in media pace semper ad bellum parati esse debeant!

§. 238.

Peccata hisce officiis adversa.

1. Juvat haec peccata eodem ordine percensere, quo supra conditiones legitimi juramenti attuli. Itaque *veritati* jurisjurandi *pejeratio* et *perjurium* opponuntur; et pejerans quidem dicitur, qui in asserendo promittendove veritatem laedit; perjurus vero, qui in exequendo promissam fidem fallit, peccata insignis atrocitatis, prout ex hucusque dictis abunde patet. Hinc non tantum sacrae paginae severam tantae perfidiae vindictam minitantur; sed inter ipsos quoque gentiles, ubi aliquis sacrorum cultus viguit, huic immani crimini notam summae ignominiae inustam fuisse legimus. Neque interest, utrum quis per apertum mendacium, an vero per dolosas restrictiones fidemque simulatam juramento abutatur. Verissimum est, quod Cicero ait: „Fraus adstringit, non dissolvit perjurium." De off. l. 3. c. 32.

De occultis restrictionibus ad alios fallendos compositis capite de mendacio plura dicentur. Hic nonnisi propositionem ab Innocentio XI. damnatam refero. „*Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis sive gravis.*" Sed praeterquam quod talis, qui nonnisi ficte juravit, per hanc sacramenti simulationem ingens peccatum commiserit, hic ipse etiam tenetur ea omnia exequi, quae licet simulate tantum promiserat, et fictionem suam, si opus fuerit, serio revocare. Etenim hoc solo medio peccatum a se commissum corrigere et compensare potest. Sane cum aliorum sensus et intentiones perspicere nequeamus, quanta rerum omnium perturbatio induceretur, si illi tantum fidem servare tenerentur, qui sincere et non forte per simulationem juraverant!

2. Alteri conditioni, seu *judicio* adversantur, qui temere jurant, sive absque justa ratione id faciant, sive cum

neglectu debitae dispositionis. Reverentiae, quae DEO debetur, certe vehementer repugnat, si quis frivole et velut per otium ipsius nomen usurpet. Praesertim illi reprehendendi sunt, qui juramentis adeo assuefiunt, ut omnem tantae rei sensum amittant, et praesentissimo periculo pejerandi exponantur. „*Non assumes nomen Domini DEI tui in vanum, nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumserit nomen Domini DEI sui frustra.*“ Exod. 20, 7. „*Jurationi non assuescat os tuum; multi enim casus in illa; et vir multum jurans implebitur iniquitate.*“ Eccli. 13, 9.

3. Demum contra *justitiam* juratur, quoties per assertionem promissionemve sic firmatam contra leges altiores impingitur. Tales sunt e. g., qui in republica ad concitandas seditiones se juramento obstringunt; vel etiam qui se clandestinae et per leges publicas prohibitae societati devovent etc. Scelus horrendum sane, dum sanctissimum religionis vinculum in confirmationem ipsius perfidiae et impietatis nectitur!

§. 239.

Officia illorum, qui jusjurandum imponunt.

1. Cum jurisjurandi tanta sanctitas sit, et exinde tot in rempublicam vel commoda vel detrimenta redundent; eorum, qui hunc actum aliis imponunt, et praesertim magistratuum summa esse debet sollicitudo, ut ejusdem inter subditos honori omni modo provideant. Hunc in finem praeprimis optandum est, ut jusjurandum *parce* admodum et nonnisi iis in causis exigatur, quae sat graves videntur, quaeque vires hominum tum physicas tum morales non excedunt. Quotidiana enim vilescunt, adeo ut etiam maxima quaeque phaenomena vix amplius attendamus, ubi iisdem assuevimus.

2. Pariter optandum est, ut actus adeo tremendus nemini imponatur, nisi probabilius saltem constet, eum et gravitatem juramenti sufficienter perspicere, et eo simul sensu religionis affici, ut non pejeraturus praevideatur. Quare homines religione destituti, et repudiata conscientia soli egoismo famulantes a jurejurando omnino arcendi forent. Quid enim de jurata talium fide sperari potest? Scilicet ubi arctissimis vinculis constricti putantur, superveniente graviori tentatione disrumpent illa, *„quomodo si rumpat quis filium de stuppae tortum putamine, cum odorem ignis acceperit.“* Jud. 16, 9. Homines rudiores vero, antequam ad hunc actum admittantur, semper de ejusdem sanctitate praevie instrui, atque ad justam illius reverentiam disponi debent.

3. Denique maximi momenti est, ut publici magistratus tum sua agendi gravitate tum adhibitis congruis ritibus actus hujus sanctitatem ad vivum exhibeant.

Tales ritus aliquando fuerunt, et alicubi vigent adhucdum, ut praemissa diligenti exhortatione jusjurandum accensis candelis coram imagine Crucifixi cum contactu Evangeliorum, sanctarum reliquiarum etc. deponatur. Doctrinam de jurejurando fuse admodum et erudite exposuit G. Riegler 2. Bd. §. 291. folg. Cf. Antoine: Theol. mor. Tom. II. P. I. Amort Tom. I. Tract. III.

Caput II.

D e v o t o.

§. 240.

Quid sit votum.

1. Votum, prout passim definitur, est promissio DEO facta de bono meliori. Quae definitio sat aperte innuit, votum esse aliquod genus sacrificii, dum nempe ad con–

testandos pios animi sensus rem aliquam vel certum actum DEO consecramus. Non minus patet, vota praeprimis inter consilia locum habere.

Quodsi quis actum jam aliunde praeceptum voveat, e. g. se nunquam peccaturum contra castitatem, talis nuncupatio, si stricte loqui velimus, non tam votum, sed potius *juramentum promissorium* constituit, quo quis coram DEO contestatur, se huic officio, e. g. castitatis, nunquam defuturum esse. Attamen de verbis non litigamus.

2. Alia consecutio est, ingens discrimen intercedere inter votum et simplex animi decretum. Qui enim actum aliquem simpliciter decernit, etiamsi firmissime id fiat, exinde tamen nulla nova obligatione constringitur; unde si propositum suum iterum dimittat, inconstans quidem, non tamen perfidus vocari potest. Qui autem aliquid vovet vel veraciter promittit, semet ipsum novo vinculo induit, ita ut absque nota perfidiae a promissis resilire jam nequeat.

3. Dantur vero diversae votorum species. Distinguuntur nempe vota *realia*, et *personalia; absolute*, vel sub *certa quadam conditione* nuncupata, e. g. si convaluero etc.; *temporalia* et *perpetua*, et praesertim celebris est distinctio inter vota *simplicia* et *solemnia*, quae fiunt, dum quis in instituto aliquo religioso et ab Ecclesia approbato solemnem professionem emittit.

Denique notare juvat, vota interdum etiam in sensu latiori accipi, dum nempe talis promissio immediate non DEO, sed Sanctis nuncupatur ad contestandam scilicet nostram pietatem erga illos. Quare ejusmodi vota ultimo quidem in DEUM desinunt, proxime tamen ad cultum Sanctorum referuntur, ut infra dicturi sumus. Nunc de votis stricte talibus.

§. 241.

Finis et utilitas votorum.

1. Dum DEO in contestationem pietatis nostrae ali-

quid promittimus, haec promissio suapte indole immediatum DEI cultum spectat, quippe quae aliud non est, quam exhibitio devotionis nostrae. Votum, prout dictum fuit, aliquod genus sacrificii constituit, quo ex rebus, quae libertati nostrae relictae sunt, quasdam DEO immediate consecramus, nosque ad praestandas illas obstringimus. Hinc vota taliter edita rectissime ad cultum divinum referimus, neque eorum nobilitas quemquam latere potest. Vel quis sobriae mentis adeo inverecundus erit, ut non pulcherrimum dicat, si quis tali modo DEO magis placere studet? Qui sincero DEI amore ductus pium votum concipit, non tantum omnia veri nominis officia, sed etiam ea exequi meditatur, quae meliora et perfectiora videntur, atque hunc in finem libertatem suam DEO sponte cedit et consecrat.

Aliqui *vota conditionata* de superstitione accusant, eoquod homo cum DEO quasi transigere et pacisci videatur, dum quidpiam nonnisi sub certa conditione spondet. Verum praeterquam quod haec votorum species ab ipsis sacris paginis suffragium accipiat, v. g. ab exemplo Jacobi, Gen. 28, 20., eadem de illa obtinent, quae §. 203. et seq. generatim de piis petitionibus diximus. Scilicet etiam per haec vota fidem, fiduciam nostramque erga DEUM devotionem exhibemus, et DEUS ipse de ordine stabilito nihil immutare cogitur, utpote qui ab aeterno omnia sibi praesentia intuetur, et prout cuncta alia, ita haec quoque vota nostra consiliis suis intexuit.

2. Simul vota DEO dicata id emolumenti habent, ut voluntas nostra in iis, quae perfectiora sunt, prosequendis plurimum juvetur. Tanta est enim animi nostri mobilitas, ut etiam ardentissima majoris perfectionis proposita mox iterum languescant. Dum vero ad aliqua, quae consulta sunt, nos stricte obligamus, voluntati nostrae sacerrimum vinculum injicitur, et inconstantia nostra plurimum coërcetur.

3. Quare non mirum, si ubique gentium aliqua votorum vestigia extant. Et penes populum israëliticum quidem morem DEO vota faciendi pervulgatum fuisse, ex sacris literis abunde patet. Ast etiam ex persuasione ethnicorum vota ad cultum divinum spectarunt *). In vera Christi Ecclesia votorum nuncupatio equidem nullibi imperatur; attamen jam ipse genius religionis nostrae has pietatis exhibitiones multum commendat, quippe qui nos tam enixe ad altiora allicit. Hinc tum aetas apostolica tum subsequens votorum admodum ferax fuit; et quamvis Ecclesia hinc inde irrepentes abusus resecare debuerit, ipsam tamen vovendi praxim bonam semper DEOque acceptam existimavit **).

4. Et haec quidem de votis generatim obtinent. Praecipuum momentum votis solemnibus competit. Per haec enim homo non tantum innumera majoris perfectionis subsidia acquirit; sed insuper semet ipsum plene ac immediate divino servitio consecrat, et viva quodammodo DEI victima efficitur ***). Pulcherrima sunt, quae Herc. Oberrauch §. 289. et seq. tum ex Ss. Patribus tum ex ratione circa hanc materiam affert.

*) Praesertim Livius in suis historiarum libris complura votorum exempla refert, quae tum a privatis tum etiam publice emissa fuerunt.

**) F. X. Nüssle: Theol. mor. Tom. II. §. 180.

***) Forsan haec eadem est ratio, cur mundus ejusmodi religiosa instituta tam vehementer abhorreat. Cum enim „*omne, quod est in mundo, sit concupiscentia carnis et concupiscentia oculorum et superbia vitae*,“ I. Joann. 2, 16.; mundano genio nihil magis opponitur, quam professio religiosa, quae, dum juxta consilia evangelica plena continentia, voluntaria paupertas et humilis subjectio spondentur, hisce illiciis directe repugnat.

§. 242.

Quomodo vota concipi debeant.

1. Quamvis vota tum ad contestandam pietatem, tum ad moralem perfectionem nostram praeclare faciant; cave tamen, ne illa indiscrete commendes. Et inprimis quidem nonnulla requiruntur, ut vota *valida* censeri possint. Hujus generis conditiones sunt: *a)* Ut vovens sui sat compos, et actus moralis capax existat; *b)* voluntas semet obligandi, et sufficiens deliberatio, quia nemo praesumitur, obligationem ex genere suo gravem subire voluisse, nisi plena cum advertentia, et debita cum deliberatione aliquid voverit; *c)* libertas tum *interna* seu moralis, ut scilicet essentialis circa objectum vel causam finalem error, simulque gravis et injustus metus ab aliquo ad votum extorquendum incussus, desint; tum etiam libertas externa, ut vovens quantum ad rem promissam vel sui juris sit, vel illius, cui subjicitur, consensum obtinuerit.

2. Sed etiam ex *parte materiae* quaedam necessaria sunt, ut votum a DEO acceptetur; nimirum: *a)* Praeterquam quod votum aliorum juribus, vel officiis altioribus non repugnet, ejusdem materia tam physice, quam moraliter possibilis sit, oportet; *b)* ne per id, quod vovetur, reapse bonum aliquod majus impediatur; *c)* demum nec illa vota a DEO acceptari censentur, quae circa materiam undequaque indifferentem fiunt *).

*) Alia quaestio est, utrum valeant vota, quae ex *sinistra intentione* fiunt. Et siquidem finis omnino turpis intendatur, tale votum non solum invalidum, sed plane sacrilegum foret; si vero finis per se est indifferens, distinguunt, utrum haec intentio *rem ipsam*, quae promittitur, afficiat, eamque omni morali pretio destituat, an vero nonnisi *actum vovendi* pessumdet. In primo casu votum invalidum, in altero autem validum habetur. Vid. Sasserat Tom. II. Tract. 2. Q. 2.

3. Verum etiamsi votum aliquod validum sit, fieri tamen potest, ut, nisi admodum caute procedatur, *periculosum*, et non tam subsidium virtutis, quam potius laqueus conscientiae evadat. Quod ne eveniat, requiritur, ut vovens pro rei gravitate maturo consilio utatur, et prius sedens computet, an possit consummare, quod coepit. Luc. 14, 28. In rebus quidem levioribus tanta mentis attentio haud requiritur, quia earundem exsecutio molesta non est. Ast in negotiis admodum difficilibus, vel quae totam hominis vitam concernunt, periculosissime agunt, qui sine debita discussione temere, et pro subito mentis impetu talia vota emittunt. Nimis frequenter accidit, ut ejusmodi vota hominem in perennes animi angores vel omnino in propinquum reprobationis periculum conjiciant. Unde etiam sacer textus monet: „*Multo melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere.*" Eccle. 5, 4.

Haec cautio data opportunitate etiam fideli populo inculcari debet, nempe ut nullum gravioris momenti votum faciant, nisi explorato prius consilio et consensu confessarii. Plerumque hujusmodi indeliberata vota concipiuntur vel in magno *devotionis ardore*, ubi mens humanis infirmitatibus sese superiorem autumat; vel ubi gravi *quadam calamitate* premitur. Dum e. g. aliquis graviter infirmatur, res etiam maxime arduas spondet, dummodo praesens malum declinare possit. Ast ubi convaluit, actiones promissae perquam difficiles videntur, mensque frustraneo initae obligationis dolore fatigatur.

§. 243.

Obligatio ex voto descendens.

1. Cum votum sit promissio DEO facta et obligatio sui ipsius, sua sponte consequitur, ex voto valide nuncupato officium resultare promissa exequendi. Ita praeter apertam rationem et consensum omnium etiam divinae lite-

rae pronuntiant. „*Si quis votum Domino voverit, aut se constrinxerit juramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne, quod promisit, implebit.*“ Num. 30, 3. „*Si quid vovisti DEO, ne moreris reddere; displicet enim DEO infidelis et stulta promissio; sed quodcunque voveris, redde.*“ Eccle. 5, 3.

2. Et siquidem voto certum tempus assignatum fuit, illud etiam intra hoc idem tempus expleri debet. Ubi vero haec temporis designatio defuit, ex communi sententia votum exequendum est, quamprimum sine magna molestia fieri potest. Praesertim mora in culpam imputatur, si ex arbitraria dilatione res promissa notabiliter imminuitur, vel si omnino timendum est, ne votum inexpletum maneat.

3. Gravitas hujus obligationis equidem, prout in aliis promissis, ex intentione voventis pendet, in quantum nempe unusquisque se obligare voluerit. Generatim tamen quilibet vovens talem obligationem in se suscipere censetur, quae gravitati materiae sit attemperata. Praesertim quoad vota solemnia alia semet obligandi intentio non admittitur, quam quae tum statutis ordinis tum menti Ecclesiae conveniat. Atque haec obligatio ingens inde momentum accipit, quod vota ad immediatum DEI cultum spectent; hinc qui corpore suo, quod per votum solemne vel etiam simplex DEO consecraverat, ad luxuriam abutitur, praeter reliquam turpitudinem nefandum quoque sacrilegium committit. Attamen datur in rebus promissis parvitas materiae; quia nullus ad minutas quasque voti particulas semet sub gravi obligare intendit, ut adeo titulus, ex quo vota reddenda sunt, per voventis intentionem quodammodo mitigetur.

Quaeritur, quid de illis votis censendum sit, quibus tota quaedam regio vel communitas tum se tum posteros ad aliquid in perpetuum obligat. Tenenturne illis succedentes generationes, cum tamen unusquisque semet ipsum tantum, non vero alios

DEO taliter devincire possit? Ast qui certae communitati aggregantur, hoc ipso omnes obligationes in se suscipiunt, quae huic communitati inhaerent. Proinde si ibidem ejusmodi publica vota et promissa vigent, atque per legitimam auctoritatem firmata fuerunt, generationes succedentes prout reliquis oneribus etiam hisce semet subjiciunt, et consequenter semet ipsos tacite ad illa exequenda obstringunt.

§. 244.

Cessatio hujus obligationis.

1. Obligatio ex tali promissione descendens triplici modo tolli potest, nempe per irritationem, declarationem et dispensationem. Et quidem irritatio *directa* vel *indirecta* dicitur. Directam nuncupant, quae fit ab aliquo habente potestatem dominativam in voluntatem voventis; indirectam vero, quae fit ab illo, cui non quidem in voventis voluntatem, attamen in ipsam voti materiam potestas seu jus competit. Et quidem, ut pauca tantum commemorem, juxta leges sacras pater vel in hujus defectu etiam tutor *directe* irritare potest omnia vota a filiis impuberibus emissa, quorum itaque promissionibus semper tacita conditio subest: *Si pater vel tutor consentiat.* Idem fere de superioribus religiosorum quoad subditos suos professos obtinet. Ast *indirecte* conjux vota conjugis, parentes vota filiorum etiam puberum, domini vota famulorum etc. irritare possunt, quae et quatenus juribus suis adversantur.

Scilicet dummodo tales, quibus irritandi potestas competit, contra ejusmodi votum *mox, ut de illo certiores fiunt,* protestentur; si enim vel per breve tempus consenserint, jure suo jam exciderunt. Insuper ut haec eorundem irritatio non tantum valida, sed etiam *licita* sit, omnino justa et sufficiens ratio requiritur. Qui pia subditorum vota absque solida ratione, sed pro mero lubitu tollit, illorum quidem valorem exstinguit, ast simul per hunc potestatis suae abusum ipsusmet culpa innodatur.

2. *Declaratio* locum habet, si actio promissa ex intervallo physice vel moraliter impossibilis evasit, vel etiam si successu temporis tantae difficultates emergunt, ut rationabiliter supponi queat, voventem pro hoc casu nullam sibi obligationem imponere voluisse. Et siquidem exsecutio voti physice impossibilis sit, vel officio altiori adversetur, per se patet, obligationem cessare, *in quantum* et *quamdiu* talis impossibilitas obstat *). Ast res multo delicatior est, si nonnisi *graves difficultates* occurrunt. Quare ubi votum absolute seu absque restrictione ad ejusmodi circumstantias emissum fuit, plerumque sola declaratio haud sufficit, sed dispensatio petenda erit. Omnium minime is, qui tali voto constringitur, proprio suo judicio confidat.

Res multum diversa est, si declaratur, votum aliquod nunquam fuisse validum; quo in casu non obligatio, sed nonnisi scrupulus de tali obligatione tollitur. Revera in sacro tribunali talis declaratio saepius peti solet. Quare confessarius hac de re interpellatus praeter reliquas conditiones ad valorem requisitas praecipue indagabit, utrum poenitens nonnisi firmum et vivum animi decretum, an vero reapse votum conceperit. Plerumque id erui potest ex occasione vovendi atque ex indole ipsius actus, de quo quaeritur; tum etiam ex intentione et mente poenitentis; nec non ex persuasione, quam tunc temporis habuit; an e. g. revera putaverit, se sub gravi peccato ad hunc actum teneri etc. Interdum etiam ratio ipsorum verborum habenda est, quibus quis usus fuit.

*) In *quantum* et *quamdiu* talis impossibilitas obstat. Si enim votum ex parte adhuc compleri potest, neutiquam omnis obligatio tollitur. Unde qui voto simplici ligatus conjugium iniit, debitum equidem reddere, non tamen illud exigere potest, et conjuge fors defuncta a novis nuptiis abstinere debet.

3. Saepissime votorum obligatio per *dispensationem* exstinguitur, vel potius in aliud opus pium commutatur. Etiamsi enim promissio DEO ipsi fiat, Ecclesia tamen semper tenuit, potestatem divinitus sibi concessam etiam ad vota extendi, scilicet ut, quidquid sacri antistites super terram solverint, etiam in coelo solutum sit. Matth. 18, 18. Atque de hac dispensatione omnia obtinent, quae §. 67. generatim dicta sunt. Quare brevitatis causa eos tantum indico, quibus haec dispensandi potestas competit.

4. Itaque inprimis quantum ad omnes fideles summus Ecclesiae antistes circa vota dispensat. Tum vero Episcopi in sua quisque dioecesi, qui eandem facultatem hinc inde etiam aliis delegare solent. Aequalem potestatem antistites religiosorum ordinum in subditos suos exercent, exceptis tamen votis substantialibus.

5. Attamen quaedam vota summo Pontifici ita reservantur, ut, si ejusdem accessus detur, et non sit in mora periculum, ipse solus ab iis dispensare queat. Huc praecipue vota solemnia spectant. Cum enim professio religiosa ab Ecclesia speciali modo acceptetur, voventemque plene et ex integro DEI atque Ecclesiae servitio mancipet; omnino congruit, ut tantum vinculum nonnisi per auctoritatem in Ecclesia summam dissolvatur. Ex reliquis votis Pontifici reservatis ea sola affero, quorum hodie frequentior adhuc usus datur, suntque: *a)* Votum ingrediendi religiosum et ab Ecclesia approbatum ordinem, et *b)* votum simplex quidem, attamen integrae ac perpetuae castitatis. Quia tamen omnis reservatio odiosa dicitur, in dubio restringenda venit. Unde non reservatur votum castitatis pro certo aliquo tempore emissum, votum non nubendi etc.; item si votum istud alternative vel conditionate nuncupatum fuerit.

Unde siqui, praesertim juniores, in confessionali pro emittendo voto integrae ac perpetuae castitatis instant, id illis non facile concedatur; sed attenta indole et probitate illorum permitti potest, ut ad tempus, vel adjecta rationabili conditione votum istud concipiant, ne forsan animo postmodum mutato in magnas molestias conjiciantur.

6. Denique ubi dispensans, ut fieri solet, aliud opus pium voto substituit, per se patet, illud summa religione exequendum esse.

PARS ALTERA
ETHICAE APPLICATAE
DE
OFFICIIS MEDIATIS ERGA DEUM.

§. 245.
Brevis introductio.

1. Primum atque supremum honestatis principium jubet, ut DEUM ex toto corde atque ex omnibus viribus, proximum vero sicut nos ipsos diligamus. Postquam igitur expositione officiorum, quae DEO immediate debentur, perfuncti sumus, restat, ut illa adhuc perlustremus, quae mediate ad DEUM referuntur. Universus horum ambitus ad simplicem Evangelii textum reduci potest, ut diligamus proximum sicut nos ipsos; ita tamen ut nomine *proximi* non tantum omnes homines, sed quaecunque *substantiae rationales* intelligantur, quae ad DEI fruitionem factae et ejusdem adhuc capaces sunt.

2. Quare immensus nobis campus aperitur, in quem charitas nostra excurrat, utpote quae praeter contemporaneos nostros etiam fratres in Domino pie defunctos, imo et Angelos et quascunque naturas rationales complectitur, iis solis exceptis, quae a DEO penitus avulsae et per sententiam irrevocabilem pro tota aeternitate reprobatae sunt. Mentes istae infelicissimae nullam a nobis charitatem merentur; sunt enim hostes DEI, et consequenter, prout DEUS

ipse aeterna illas vindicta persequitur, ita et nos illas aversari oportet. Perfectus DEI amor est perfecta harmonia nostrae voluntatis cum voluntate divina; prout ergo ad nostra officia spectat, ut omnes diligamus, quos ipse diligit, ita vicissim malos daemones et damnatos, quos DEUS aversatur, nos quoque aversari debemus. Hinc nemo mirabitur, si in Apocalypsi electi de reproborum cruciatibus ovantes et gratulabundi inducuntur, quandoquidem DEUM inter et Sanctos ne minima quidem voluntatis discrepantia cogitari potest. Ex eadem ratione DEUS piissimo Samueli respondit: „*Usquequo tu luges Saul, cum ego projecerim eum?*" Reg. 16, 1.

3. Apex vero, in quem omnia haec officia collineant, est aeterna DEI fruitio, ad quam nos vel mutuis consiliis conatibusque promovere studemus, vel de qua feliciter obtenta iis, qui in termino consistunt, amicissime gratulamur.

4. Ut vero officiorum inde redundantium expositio legitimo ordine decurrat, has praevie lineas designamus. Naturae ad DEI fruitionem factae

a) vel probationis suae stadium jam feliciter emensae DEO nunc plene potiuntur, aut saltem nonnisi quasdam adhuc in loco intermedio poenas luendas habent;

b) vel adhucdum in arena decertant; huc tum *nosmet ipsi*, tum *commilitones* nostri pertinent, quorum igitur saluti pro viribus consulendum est; atque haec erga alios officia denuo vel *generalia* sunt, vel *specialia*, prout nempe ex titulo universali tantum, aut simul per rationes etiam speciales urgentur.

SECTIO I.

OFFICIA ERGA BEATOS ET PIE DEFUNCTOS.

Caput I.

De cultu Sanctorum generatim.

§. 246.

Rationes hujus cultus.

1. Res est solatii plenissima, dum recogitamus, dari communionem Sanctorum, ita ut nos inter et sanctos Angelos, aliosque beatos arctissimum vinculum intercedat. Quem in finem Apostolus ait: „*Accessistis ad Sion montem et civitatem DEI viventis, Jerusalem coelestem, et multorum millium Angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in coelis etc.*“ Hebr. 12, 22. Quod jam sanctos Angelos attinet, dubio caret, quin impensissimo erga nos amore afficiantur; sunt enim „*administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capient salutis.*“ Hebr. 1, 14. Unde divinus Redemtor attestatur: „*Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis DEI super uno peccatore poenitentiam agente.*“ Luc. 15, 10. Plura de his, praesertim de Angelis tutelaribus, tum Dogmaticae tum Ascesi exponenda relinquimus.

2. Si vero illos attendimus, qui naturae nostrae participes nunc in coelesti patria DEO plene perfruuntur, quanto moerore pectus nostrum opprimi deberet, si nobis,

qui tanto temporis intervallo ab illis sejuncti vivimus, nihil de iis reliquum esset praeter derelicta eorundem vestigia! Ast quanto solatio perfundimur, dum fides nostra nos edocet, illos haudquaquam extinctos, sed cum DEO intime conjunctos, atque ex hac ipsa conjunctione rerum nostrarum memores et sollicitos esse! Nos quasi tenelli vacillantesque parvuli sumus; illi vero sunt fratres nostri plene adulti, qui in domum paternam translati nostri eo minus obliviscuntur, quo major DEUM inter et illos voluntatis harmonia datur.

3. His praemissis ad oculum patet, justissimum esse, ut tum Angelos tum reliquos beatos praecipuo amore atque honore prosequamur. Felicissimae illae naturae conatibus nostris utique non indigent; ast non tantum indigentia, sed etiam dignitas aliorum justum titulum constituit eos colendi. Jam ipsa ratio dictat, ut cuique suum praestemus, adeoque honorem, cui honorem. Quis vero adeo desipiet, ut Sanctos amore et cultu nostro indignos dicat? Insuper si DEUM vere diligimus, necessario etiam illi nobis diligendi sunt, quos DEO amicissimos novimus. His accedit titulus justae gratitudinis; cum enim Sancti erga nos summa charitate afficiantur, quid magis condecet, quam ut iisdem vicem rependamus? Sane Ecclesia, quae in coelis laetissimos triumphos agit, ab ea, quae adhuc in terris militat, neutiquam est avulsa, sed unum omnes corpus sumus in Christo, ac membra de membro. Proinde illos inter et nos etiam mutua charitas foveri debet. Denique exinde in nosmet ipsos plurima emolumenta derivantur. Nam praeter intercessionem ac suffragia Sanctorum jam ipsa illorum exempla mentem nostram mire perficiunt; dum scilicet serio perpendimus: En, illi et isti ejusdem naturae participes, iisdem infirmitatibus circumdati, atque iisdem, imo multo adhuc gravioribus pugnis implicati erant, ac nos

sumus. Ast adjuti DEI gratia omnibus tum terroribus tum illiciis terrenis fortiores extiterunt, et propterea post brevissimam decertationem jam immarcescibili corona laetantur. Potuerunt ergo illi, cur non et ego? Revera haec erga Sanctos devotio a primis Ecclesiae temporibus usitata fuit, prout tum ex vetustissimis liturgiis, tum ex Justino, Tertulliano, Cypriano etc. patet.

§. 247.

Discrimen inter latriam et duliam.

1. Cultum, qui DEO immediate debetur, latriam, cultum vero, qui Sanctis impenditur, duliam vocamus, estque ingens discrimen inter utrumque. DEUM enim ceu ens supremum, principium et finem rerum omnium cultu summo et absoluto prosequimur; in Sanctis vero naturas finitas tantum, DEO tamen amicissimas et ex Christi meritis coelesti gloria ditatas suspicimus. Unde Sanctos neque adoramus, neque sacrificium iisdem impendimus. Pari modo dum eorum patrocinium imploramus, neutiquam opinamur, vel Sanctum aliquem esse primum boni cujusdam fontem, vel DEUM inter et homines alium Mediatorem dari praeter solum JESUM Christum. „*Nobis enim unus est DEUS, unus et Mediator DEI et hominum Christus JESUS.*“ I. Tim. 2, 5.

2. Jam exinde patet, cultui divino per cultum, qui Sanctis defertur, nihil derogari. Potius haec eadem dulia in DEUM et JESUM Christum desinit; dum enim Sanctos pie diligimus, atque hos pietatis sensus congruis actibus manifestamus, id ex DEI voluntate atque ultimo ex ipsius DEI amore facimus; dumque illorum virtutes celebramus, haec quoque laus ultimo in DEUM et in divinum Mediatorem refunditur; scimus enim, has ipsas virtutes ex divina gratia descendisse, iisque ideo tantum coelestem obti-

gisse gloriam, quia per gratiam nobilitatae fuerunt. Quare omnis Sanctorum cultus in Christum Mediatorem atque in DEUM revertitur, ita ut non tam ipsos, quam potius in ipsis DEUM colamus; eodem fere modo, prout dilectissimum parentem in persona filiorum, quos illi charissimos scimus, complecti solemus. Triumphus Sanctorum revera triumphus Christi est, qui in illis pugnavit et vicit. Pulcherrime S. Augustinus ait: „*Non aram condidimus Stephano, sed de Stephani cineribus aram fecimus DEO.*“ Vide quoque Trid. Sess. 22. cap. 3.

§. 248.

Diversae exhibitiones hujus cultus.

1. Etiamsi dulia infinities infra latriam subsistat, est tamen quaedam illius adumbratio; unde quidquid de cultu divino diximus, *suo modo et justa cum restrictione* huc transferre licet. Ex eadem ratione in percensendis duliae exercitiis breviores esse possumus. Itaque etiam cultus Sanctorum internus vel externus, publicus vel privatus, atque ordinarius vel extraordinarius esse potest.

2. Inprimis nostra erga Sanctos pietas per *singularem aestimationem* se exserit, quam de iisdem fovemus; utpote quos tam egregiis pro DEO laboribus perfunctos, ad regnum coeleste translatos, atque pro omni aeternitate fine suo ultimo plene potitos novimus. Hanc illorum admirationem sua quasi sponte intima *cordis laetitia* excipit, qua illis de felicissima sua sorte gratulamur non aliter, ac si tanta beatitudo nobismet ipsis obtigisset; id enim lex regalis expetit, qua proximum sicut nos ipsos diligere jubemur. Atque hos eosdem sensus haud suprimendos aut occultandos putamus, sed tum verbis tum actibus etiam testatos facimus, eo scilicet modo, quem Ecclesia, praesertim quoad cultum publicum, approbavit vel statuit.

3. Cum hoc spirituali gaudio indivulse cohaeret *studium* ea omnia peragendi, quae illis grata et accepta fuerint. Quid vero illis acceptius erit, quam si eorum exemplis succensi regnum DEI tum in nobis tum in aliis strenue promovere satagimus? Quare studium eorum virtutes imitandi certe praecipuam hujus cultus partem constituit. Et sane dum eorum vitam iterato contemplamur, atque ex hac consideratione ad DEI proximique amorem inardescimus; nostrae virtutes ex parte saltem virtutes illorum fiunt, quippe quorum exemplis accendimur; ut propterea piissimae illae mentes, etiamsi terris subductae vi tamen exempli adhuc in terris operari pergant.

4. Pari jure Sanctorum suffragia imploranda ducimus. Dum enim olim, ubi multis adhuc infirmitatibus stipati mortale corpus gestabant, tanto fraternae charitatis impetu agebantur, quis sibi imaginari posset, hanc illorum charitatem modo extinctam esse? Modo, inquam, ubi DEUM, charitatem ipsam, facie ad faciem vident, eique similes existunt, Joann. 3, 2.; et ubi multo clarius perspiciunt, quanti momenti sit, ut nos, qui adhuc in ancipiti haeremus, destinatione nostra haud excidamus, et ne pretium redemtionis nostrae in nobis cassum reddatur. Absurdum foret has Sanctorum intercessiones ex eo respuere, quia coram DEO nullo indigemus interprete, vel quod unicus Mediator noster sit Christus JESUS. Prout enim DEUS pro sapientissimo suo consilio plurima bona ad nostras preces restrinxit, ita quoque ad intercessionem aliorum, prout in ipsa sacra Scriptura exempla referuntur. Gen. 20, 7, Job 42, 10. Et certe S. Paulus Christo neutiquam injuriosum existimavit, cum toties semet fidelium precibus commendaret, iisque mutuam vicem promitteret. Quodsi ergo piorum hominum adhuc in terra degentium intercessionem implorare licet, quanto magis Sanctorum, qui DEO

jam plene fruuntur? Cumque pro mutua connexione nostra charitas ipsa poscat, ut Sancti pro nobis suffragentur, nostrique fraternam curam agant, eccur timeamus, ne DEUS haec illorum suffragia irrita esse sinat?

Sed forsan Sancti Divinitatis oceano absorpti de nobis non cogitant, vel tamen rerum nostrarum prorsus ignari sunt? Verum cum DEUS charitas sit, et nonnisi ille in DEO maneat, qui manet in charitate I. Joann. 4, 16., Sancti fratrum suorum, quibus tam arcto vinculo connectuntur, oblivisci certe nequeunt; et quia DEUS ipse, utpote qui est charitas, vult, ut sint de nobis solliciti, numquid eidem impossibile erit rerum nostrarum illis subministrare notitiam?

5. Potissima exercitia, quibus cultum nostrum testificamur, sunt *dies festi* in Sanctorum memoriam instituti; *sacrificium Missae*, utique non Sanctis, sed DEO oblatum, ut ipsi pro donis, quae illis concessit, dignas grates rependamus; *orationes*, *jejunia* aliaque tum pietatis tum misericordiae opera DEO hunc in finem praestita; sacramentalis ad illos provocatio, et pia vota iisdem nuncupata, in quantum nempe rebus creatis talia exhiberi possunt; diversa donaria etc.

§. 249.

De cultu Ss. imaginum et reliquiarum.

1. Natura ita comparati sumus, ut eorum, quos vehementer diligimus, et simul a nobis absentes esse dolemus, saltem imaginem, vel residuas, quibus usi fuerant, res expetamus. Numquid non ipsimet Ecclesiae adversarii quantum ad personas sibi prae reliquis dilectas hunc morem frequentant? Ita igitur etiam charitas nostra in Sanctos se exserit. Unde quo impensius JESUM Christum, beatissimam DEI genitricem et reliquos sanctos diligimus, eo magis exoptamus, ut tum per pias effigies tum per reliquias,

siquae supersunt, nobis quasi propinquiores reddantur, atque eorum memoria in nobis semper viva persistat. Neque has illorum repraesentationes inutiles arbitramur, cum ex earum intuitu una cum imaginatione nostra etiam mens ad pietatem vehementer excitari et sursum ferri consueverit. Insuper dum religionis nostrae mysteria et res gestae tali modo exhibentur, homines rudiores exinde percommode instrui et edoceri solent. Ejusmodi imagines recte perennes catecheses dixeris.

2. Dum vero hisce tum imaginibus tum reliquiis pium cultum impendimus, cultus noster neutiquam in ipsis sistitur; sed per res has visibiles in illos tendit, qui illis repraesentantur, et prout supra diximus, ultimo in DEUM ipsum desinit. Unde cultum, qui piis iconibus Sanctorumque reliquiis exhibetur, nonnisi *relativum* dicimus, utpote in quo devotio nostra nullatenus terminatur. Omnium minime hisce imaginibus vel statuis rebusve residuis *aliquid virtutis* vel *divinitatis* assignamus, propter quam sint colendae. Prout devotio, ita et fiducia nostra non imagines petit, sed ad prototypa refertur, quorum in nobis memoriam excitant. Lectu dignissima sunt, quae Patres Tridentini Sess. 25. desuper docent et inculcant.

Ne diversi abusus irrepant, Ecclesia inter alia prohibuit, ne quis cum quantacunque sanctitatis opinione defunctus cultu publico afficiatur, nisi a Summo Pontifice in Sanctorum Beatorumve album relatus sit, aut per communem Ecclesiae sensum, per immemorialem temporis usum, per scripta Ss. Patrum, vel per speciale Pontificis decretum talem cultum obtinuerit. Quibus talia desunt, in eorum honorem nec festa institui, nec templa aut altaria erigi, nec horas canonicas dici fas est. Pariter non licet eorum reliquias aut imagines publicae venerationi exponere, vel lampades aut tabulas appendere, quas *ex voto* dicunt. Privatim quidem talium icones asservari possunt, absque radiis tamen vel laureolis.

Similiter cautum fuit, ne sine approbatione Episcopi quaecunque Sanctorum reliquiae publice exponantur. Idem fere de piis imaginibus in Ecclesia exponendis praecipitur. Praesertim, etiamsi leges humanae tacerent, res ipsa postulat, ne in locis sacris imagines indecorae, procaces aut superstitiosae exponantur.

Quaeritur, an non illa fiducia superstitiosa sit, qua certae imagines *thaumaturgicae* habentur? Et siquidem iisdem reapse aliqua virtus vel divinitas adscriberetur, illarum cultus a nota superstitionis certe immunis non foret. Sed res plurimum diversa est, si alicubi ob celebritatem loci, ob res ibidem gestas, et ob quaecunque rerum adjuncta animus ad majorem erga DEUM fiduciam assurgit, atque ex hoc ipso majoris devotionis affectu mens divinorum charismatum capacior redditur. Scilicet spiritus, ubi vult, spirat.

§. 250.

Peccata huic cultui adversa.

1. De peccatis, quae huic cultui adversantur, *suo modo* vix non eadem obtinent, quae §. 224. et seq. de vitiis latriae oppositis dicta sunt. Inprimis peccari potest per cultum *superstitiosum*, dum e. g. Sanctus aliquis tamquam supremus bonorum fons, vel tamquam veri nominis Mediator hominum suspicitur, vel dum ejusdem imaginibus intrinseca aliqua virtus accensetur. Aeque superstitiosum est, si Sanctis cultus indecens et indignus impenditur, e. g. dum quis Sanctorum memoriam atque dies hunc in finem sacratos per luxum et luxuriam celebrari posse autumat.

2. Insuper contra legem negantem impingunt, qui contra Sanctos odium atque formalem contemtum fovent. Quodsi talis contemtus verbis vel actu ipso exprimitur, eadem fere recurrunt, quae §. 225. et seq. de blasphemia et sacrilegio diximus. Id solum addere juvat, contumelias, quae Sanctis vel immediate, vel eorum imaginibus aut reliquiis inferuntur, semper in DEUM ipsum desinere.

3. Contra legem ajentem neglectus illius amoris atque cultus pugnat, quem Sanctis exhiberi decet; qui quidem neglectus, nisi ignorantia excuset, plerumque triste circa ipsam religionem frigus innuit. Qui intimos DEI amicos aspernatur, etiam officiis erga DEUM immediatis vix satisfaciet.

4. Quantum illi peccent, qui cum impia ad Sanctos provocatione pejerant, vel fidem fallunt, quam illorum auctoritate tum per juramentum tum per votum obstrinxerunt, neminem latere potest.

Caput II.

De cultu hyperduliae.

§. 251.

Momenta hujus cultus.

1. Praeter cultum generalem, quem tum Angelis tum Beatis exhibere decet, datur adhuc cultus specialis, seu hyperduliae, quem dignitas sanctissimae virgineaeque Matris expetit. Quo majori enim honore unaquaeque ex beatissimis illis mentibus affici meretur, eo major quoque illi impendi debet, ut sic demum cuique suum praestemus. Jam vero Virgo semper fidelis prout sine labe concepta pie creditur, ita quoque gratiis sibi concessis perfectissime semper cooperata fuit. Unde tantos coelestium charismatum thesauros sibi comparavit, ut omnem humanum computum longe superent. Certe vel de hac, vel de nulla alia femina verum est, quod dicitur: „*Multae filiae congregaverunt divitias; tu supergressa es universas.*“ Prov. 31, 29.

2. Ast his tamquam titulus singularis accedit *maternitas beatissimae Virginis*, qua illum genuit, qui DEUS simul et homo, atque persona vere divina fuit. Unde re-

vera DEI mater exstitit, et quidem sub ratione non tantum physica, sed etiam morali, quippe post cujus consensum infinitum incarnationis mysterium peractum est; quod quidem omnem admirationem longissime excedit, atque Matri virgineae tantam dignitatem conciliat, qua major in rebus creatis ne cogitari quidem potest.

3. Ex eadem ratione timendum non est, ne per cultum, quem huic Virgini adhibemus, cultui divino aliquid decedat. Etenim ubi ejusdem virtutes et merita celebramus, prout §. 247. dictum fuit, omnis honos in DEUM qua omnium bonorum gratiarumque fontem refluit; ubi vero illam ceu Deiparam colimus, devotio nostra sub *hac ratione* eidem exhibita in ipsum Filium transit, quippe qui matrem ideo tantum omni modo praedicandam existimamus, quia JESUM Christum peperit, qui est DEUS benedictus in saecula.

§. 252.

Utilitas hujus cultus.

1. Alia momenta, quae specialem beatissimae Virginis cultum urgent, sunt summa emolumenta, quae tum in singulos tum in totam christianam rempublicam inde redundant. Sane nullus aequus rerum aestimator inficiabitur, ejusdem intercessionem pro nobis prae reliquis efficacem fore. „*Neque enim fas est*,“ ait Salomon ad supplicantem matrem, „*ut avertam faciem tuam.*“ III. Reg. 2, 20.

Utique ex eodem Salomonis exemplo patet, perperam B. V. intercessionem interpellari, ubi ex parte nostra requisitae conditiones desunt. Ubi vero, quae ad nos spectant, solerter exequimur, implorata Matris suffragia procul dubio certissimum effectum habebunt.

2. Tum vero sanctissimum vitae exemplum, quo Virgo praeclarissima fulget, miram in animos vim edit. Equidem

pauca sunt, quae divinus codex de ipsa refert; prout summum illud integritatis humilitatisque exemplar decebat, sanctissima Virgo rarissime tantum in scenam prodit, et mox, ut illam admirari coepimus, intuentium oculis semet subtrahit. Attamen mens verae virtutis haud ignara in omnibus, quae de illa referuntur, candorem vere coelestem miratur. Hinc frequens et pia simul virgineae Matris recordatio atque genuina erga illam pietas non tantum homines adhuc integros a tristissimo innocentiae naufragio praeservat, sed etiam corda efferata emollire solet; dum nempe ex ipsius contemplatione virtutem admirari coguntur, et simul spem concipiunt, fore, ut per ipsius efficacissimam intercessionem peccatorum veniam et abundantia gratiarum auxilia impetrent.

In contestationem hujus asserti secure ad experientiam provoco, eorum praecipue, qui diutius in cura animarum versati sunt. Omnes fatebuntur, tum in singulis tum in totis communitatibus vivum religionis sensum, filialem timorem DEI sanctamque morum integritatem eo magis vigere, quo major ac impensior ibidem erga B. V. devotio invenitur.

3. Quantum ad speciales exhibitiones hujus cultus, nec non quoad peccata, quae eidem adversantur, omnia rememoranda veniunt, quae paulo ante de cultu Sanctorum generatim attuli. Id unum repeto, officia ibidem adducta sanctissimae Deiparae ex titulo adhuc singulari impendenda esse, ut adeo ejusdem cultus prae reliquis copiosus esse debeat, id quod et ipsa divino Spiritu repleta praenuntiavit dicens: „*Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*“ Luc. 1, 46. etc.

Caput III.

§. 253.

Officia erga animas in purgatorio detentas.

1. Inter eos, qui stadium suum feliciter percurrerunt, datur agmen aliquod generosorum militum, qui victores quidem, ita tamen pugna sua defuncti sunt, ut nonnihil cedendo vulnera quaedam exceperint, quae non tam ad gloriam, sed potius ad dedecus faciunt, et quorum proinde ante consecutionem coronae coelestis sat dolorosam medicinam subire coguntur. Et quidem dari locum intermedium, quem *purgatorium* dicimus, Dogmatica solidissime demonstrat. Praeter constantem Ecclesiae traditionem ipsa ratio aperte suffragatur. Dum enim tot in statu quidem gratiae sanctificantis, attamen naevis levioribus temporalibusque poenis obnoxii ex hac vita decedunt, utrumque absurdum foret; sive statuatur, tales exinde penitus reprobandos, sive eosdem mox et absque praevia purgatione coelestem gloriam consecuturos esse.

2. Aeque certum est, animas in purgatorio detentas nobiscum arctissime cohaerere, ita ut ejusdem divini regni cives, imo ejusdem corporis membra simus. Numquid ergo non inhumanum esset, si nulla erga illas charitate nulloque iisdem succurrendi studio afficeremur? Cumque DEUS ipse illas paterne diligat, numquid nobis torpere licet? Insuper fors quoad plures illarum ad titulum generalem rationes adhuc singulares accedunt. Animae ibidem detentae forsan nobis amicissimae, in nos beneficae, vel etiam per nos offensae fuerunt, ut saltem ex parte etiam propter nos puniantur.

3. Sed forte suffragia nostra illis haud prosunt? Verum quis id asserere ausit? Cum *justum* sit, ut nos, qui

adhuc mereri possumus, pro illis intercedamus, utique DEUS ipse hanc intercessionem expetit, et eo ipso, quod illam jubeat, eandem etiam ratam habebit. Est sane impossibile, ut id, quod ex DEI beneplacito fit, omni effectu destituatur. Huic ratiocinio fides catholica plene concordat. Jam in libro II. Machabaeorum refertur, duodecim millia drachmas argenti Jerosolymam missas esse, ut pro peccatis mortuorum sacrificium offerretur. Cui narrationi additur: „*Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.*“ II. Machab. 12. Quod autem fidem verae Ecclesiae attinet, haec certissima redditur tum ex vetustissimis Ecclesiae orientalis non minus, quam occidentalis liturgiis, tum ex Tertulliano et Origene sanctisque Patribus non interrupta serie sibi succedentibus. Pulcherrime iterum Tridentinum in Sessionibus 6., 22. et 25. hanc doctrinam non tam definit, quam potius lucidissime explanat.

4. Ut vero hisce animabus quam optime succurramus, praecipue commendantur: *a)* Sacrificium Missae, preces, eleemosynae, indulgentiae, jejunia aliaque pia opera, quorum fructus illis per *modum suffragii* applicantur; tum etiam *b)* pia sedulitas ea supplendi corrigendive, quae ab illis vel omissa vel minus bene peracta fuerunt. Et sane talis erga defunctos sollicitudo plurimum solatii et humanitatis spirat, dum nos, qui adhuc superstites sumus, illos tamquam membra nobis conjunctissima fovere pergimus. Scilicet „*fortis est ut mors dilectio*,“ Cant. 8, 6., unde genuina charitas neque per mortem intercipi potest. Equidem in agro dominico inter hos pulcherrimos flores etiam zizania succreverunt; ast ob fortuitos abusus usus rectus haudquaquam tolli debet.

SECTIO II.

OFFICIA ERGA SE IPSUM.

§. 254.

Notiones praeviae.

1. JESUS Christus Redemtor et Princeps noster atrocissimum bellum equidem ipsusmet confecit; attamen haec est praesentis vitae conditio, ut nemo nostrum coronandus sit, nisi qui legitime certaverit. Hinc etiam illa regni divini pars, quae adhuc in terra versatur, *Ecclesia militans* dicitur. Et utinam omnes, quotquot vivunt, huic Ecclesiae adscripti forent! Ast dantur innumeri, qui non divinum Redemtorem, sed signa potius hostilia sequuntur veram salutis oeconomiam vel ignorantes, vel omnino exitiali illius odio capti. Imo etiam inter eos, qui Christum profitentur, plurimos turpiter devictos atque prostratos spectare cogimur. Eo major igitur ex parte nostra labor requiritur, ut tum nobismet ipsis felicissima palma obtingat, tum vero ut et alios, quotquot possumus, aeternae felicitatis faciamus participes. Et in praesenti quidem sectione ea officia pertractabimus, quae unicuique *erga semet ipsum* incumbunt, et quae propterea nomine justi amoris erga semet ipsum comprehenduntur.

2. Quamvis vero primam et praecipuam curam *salus nostra aeterna* expetat, justus tamen sui amor sortem hujus temporis haudquaquam negligit. Hinc illum definire

licet, esse studium rite ordinatum, salutem suam provehendi *).

3. Superfluum videtur, necessitatem amoris rationi convenientis multis demonstrare. DEUS quippe hunc ipsum in finem praesens nobis stadium assignavit, atque *Filium suum unigenitum dedit, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Joann. 3, 16. Hinc in novo Test. frequentissimae cohortationes occurrunt, quibus ad supernam felicitatem evocamur. Cf. Matth. 16, 26., Luc. 13, 24., I. Cor. 9, 24. seq., II. Pet. 1, 10. Neque felicitas hujus vitae voluntati divinae repugnat, si quidem honesto modo appetatur. Potius cultus animi, corporis valetudo, et status externus cum officiis, quibus erga DEUM et proximum tenemur, intime cohaerent, ita ut quo majori quisque amore DEI ac proximi inardescit, eo magis quoque seipsum diligat. Cf. Schenkl: Eth. Tom. II. §. 318. **).

*) Prout amor proximi, ita quoque amor sui ipsius alius divinus, alius humanus, et hic iterum licitus vel illicitus esse potest. Scilicet *amor sui divinus* foret juxta S. Aug. *motus animi ad fruendum DEO propter ipsum, et se propter DEUM.* Amor *humanus* quidem, attamen *licitus* occurrit, dum naturalem quidem propensionem sequimur, ita tamen, ut nihil admittatur, quod officiis altioribus repugnet, vel inordinatum sit. Demum amor *illicitus* et *praeposterus* dici meretur, quo quis pruritui naturali contra dictamen rationis indulget, quo crassiorem, subtilioremque φιλαυτιαν seu egoismum referunt. Hoc sui studium reapse non amorem, sed potius odium sui constituit. Joann. 12, 25.

**) Quia saltem quoad hujus temporis bona homo jam naturaliter semet diligit, Eph. 5, 29., divina revelatio hunc amorem non tam commendare, quam potius ad rectum ordinem et modum redigere allaborat. Hinc toties nosmet ipsos abnegare, carnem crucifigere, animam in hoc mundo odisse, et

4. His praemissis jam ipsam hujus amoris expositionem aggredimur, inprimis officia quaedam generalia, tum vero ea percensentes, quae speciatim animum, corpus et statum denique externum attinent.

Caput I.

Officia generalia.

§. 255.

Qua ratione unusquisque semet novisse debeat.

1. Homo non caeco naturae impetu ad destinationem suam dirigitur, sed deliberate et proprio motu ad bravium sibi propositum contendere jubetur; ast qua ratione id fiet, siquis semet ipsum nescit? Unde justam sui ipsius cognitionem rectissime officiorum, quae nobis ipsis debemus, basin et necessariam conditionem dicimus.

Ipsi philosophi gentiles justam cognitionem sui ipsius prae omni rerum aliarum notitia multum extulerunt, simul vero prae reliquis eam difficilem arbitrati sunt. Praeclara sunt, quae ex memorabilibus Socratis, atque ex scriptis Platonis, Ciceronis, Senecae etc. hac de re extant. Cf. Riegler 2. Bd. §. 304.

2. Hanc vero sui cognitionem in *generalem* et *singularem* dispescimus, eoquod unumquemque nostrum nosse oporteat, tum quae sit generatim humanae naturae conditio, tum etiam quaenam dotes pariter ac infirmitates nobis singulis inhaereant.

3. Ad generalem humanae naturae notitiam inprimis pertinet, ut probe perspectum habeamus, quis demum sit

quae sunt his similia, jubemur. Ast vera Christi Ecclesia hujus generis expressiones cum legitimo sui amore facillime semper conciliavit.

ultimus finis, ad quem a DEO conditi atque in hac terra collocati simus. Quae caecitas magis deploranda venit, quam siqui dantur, qui ipsam vitae praesentis destinationem ignorant? Divinae paginae misserrimam horum sortem ad horrorem usque depingunt, tum tales die judicii ita secum loquentes inducuntur: „*Ergo erravimus a via veritatis, et justitiae lumen non luxit nobis! Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra etc.*" Sap. 5, 6. Aeque necessarium est, ut praesens humani generis conditio, atque facta per Christum redemtio nos non lateant. Quanta malorum portenta ex ignorantia hujus conditionis nostrae tum in scientiam tum in ipsum vivendi usum redundent, jam iterato indigitatum fuit.

Scilicet qui primitivam hominis ideam cum praesenti ejusdem statu confundunt, vel cum Stoicis leges scribunt, quibus infirmitas nostra prorsus impar existit; vel cum Aristippo et Epicuro totum hominem ad vitam mere animalem allegant.

4. Atque ad hanc universalem naturae nostrae cognitionem melior certiorque via non datur, quam ut in doctrina religionis nostrae magis magisque proficiamus; quippe quae tum ultimum finem, tum lapsum et redemtionem humani generis, tum mentis immortalitatem, et generatim omnia nos edocet, quae nos universim de homine scire oportet.

Quis divinae benignitati non etiam exinde summas grates habebit, quod nunc homines agrestes et ex infima plebe tales de DEO, de semet ipsis, de immortalitate et futura retributione etc. conceptus habeant, quos celebratissimi gentilium philosophorum vel penitus ignorarunt, vel obscure tantum divinasse videntur?

§. 256.

Continuatio.

1. Ast praeter hanc generalem hominis notitiam etiam requiritur, ut unusquisque tum dotes tum propensiones et infirmitates suas singillatim perspectas habeat. Etiamsi enim natura nobis omnibus communis sit, haec tamen pro diversitate indolis, temperamenti, educationis etc. diversissimas vicissitudines patitur. Sed qua ratione naevos ac menda sua corrigere, atque officia sua rite adimplere poterit, qui sibimet ipsi terra incognita existit? Revera nimis frequenter id accidit; unde quam perspicaces et lyncei sumus in deprehendendis defectibus aliorum, tam raro maculas proprias advertimus. Hunc in finem unusquisque tum cogitata et sensa sua, tum actuum suorum momenta et rationes sedulo explorare studeat. Frequenter ergo in nosmet ipsos inquirere oportet, *a)* quaenam objecta mentem nostram prae reliquis occupatam teneant, qui e. g. jam primo mane, dum expergiscimur, nostri cogitatus sint etc.; *b)* quibus maxime ad tristitiam vel ad gaudium disponamur; *c)* quales nos exhibeamus, ubi mentis nostrae aequilibrium per quemcunque affectum turbatum fuit; *d)* quaenam consilia et molimina in animo nostro agitentur, ubi ad nosmet ipsos minus attendimus etc.

Jam ex his patet, quanti momenti sit, ut per quotidianum conscientiae examen interiora nostra identidem discutiamus.

2. Tum vero consulunt, ut prudenti et pia sagacitate alios observemus, illos praecipue, quorum consilia et sensus ex familiari convictu nobis patent. Nam natura hominum quoad rei essentiam in omnibus eadem invenitur. In cunctis latentem quidem, ut ita dicam, Divinitatis scintillam, ast ingens simul pondus corruptionis detegimus. Qui ergo alios vigilanti oculo observat, tumque semet ipsum

scrutatur, in mente sua plurimos recessus animadvertet, quorum antehac vix aliquam suspicionem habuit. Idem de intensiori studio tum sacrae tum profanae historiae obtinet. Praesertim in Ss. Bibliis homo penicillo divino prorsus ita depingitur, qualis revera est.

Ast dum alios observas, cave, ne animo illiberali in occultos eorum defectus inquiras, vel temerariis circa illos judiciis et suspicionibus detinearis. Pari modo dum nos cum aliis comparamus, nos semper ad illos aestimare decet, qui nobis meliores videntur. Nimis proni sumus, ut cum illis nos conferamus, quos nobis pejores credimus, utque ex tali comparatione connata nobis superbia plurimum nutriatur. Ast quanto rubore suffundimur, si vitam nostram, ne dicam ad exemplum divini Redemtoris, ad conversationem tot Sanctorum exigimus! Qui nobis paulo ante gigantes videbamur, spectata horum celsitudine infra pigmaeos subsidemus.

3. Insuper ad nosmet ipsos magis perspiciendos multum confert, ut animo sincero paratoque judicia aliorum expendamus, quae de nobis concipiunt. Et illum quidem merito beatum dicimus, cui fidus amicus obtigit, qui ad naevos admissos eum attentum reddat *). Interdum salus etiam ab inimicis venit. Etiamsi adversarii defectus nostros fors ultra verum exaggerent, in iis tamen, de quibus accusamur, raro omni prorsus culpa vacamus. Unde qui inimicorum judicia tranquille expendit, saepe naevos a se admissos inveniet, quos ipse amicus vel non animadverit, vel nobis manifestare timuit.

4. Denique non intermisso studio et spiritu humiliato lumen supernum implorare debemus, ut detur nobis de

*) Quantum utilitatis sacramentalis peccatorum confessio etiam sub hac ratione praebeat, praesertim quae apud eundem confessarium frequentatur, §. 142. notavi.

collyrio isto, quo inungantur oculi nostri, ut videant. Apoc. 3, 18.

§. 257.

De justa sui aestimatione.

1. Haec sui ipsius cognitio sua sponte in duo velut brachia extenditur, quae, etiamsi ad primum obtutum sibi contraria videantur, inter se tamen optime conveniunt, suntque *justa sui aestimatio* et *humilitas*. Inter aliquos recentiores magnus circa hoc officium clamor, et non minor ejusdem abusus fuit, dum dignitatem hominis tamquam absolute summam statuebant, ita ut quisque sui ipsius finis sit; vel dum sub obtentu aequalis in omnibus dignitatis plenam quoque omnium libertatem et aequalitatem depraedicabant. Seclusis igitur hisce deliramentis inquiramus denuo, quid ratio per revelationem illustrata dictet. Itaque verissimum est, hominem supra reliquam naturam, quae ratione destituitur, in immensum prominere. Non tantum ad DEI imaginem, sed ad ipsius quoque fruitionem facti DEUM ipsum tamquam patrem, atque coelum ceu patriam nostram suspicimus. Brevitatis causa lectorem ad §. 14. remitto.

2. Verum multo magis adhuc natura nostra per JESUM Christum, atque per divinam salutis oeconomiam nobilitatur. Dum enim verbum aeternum naturam nostram sibi coadunavit, eamque Divinitatis participem effecit, quis dignitatem hominis sat admirabitur? Scilicet ille, qui *portat omnia verbo virtutis suae* Hebr. 1, 3., vi unionis hypostaticae jam caro nostra, nosterque frater existit. „*Quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus, et de ossibus ejus.*“ Eph. 5, 30. Quapropter ipsusmet ait: „*Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, DEUM meum et DEUM vestrum.*“ Joann. 20, 17. Obstupesci-

mus, dum pensitamus, quibus expressionibus divina revelatio dignitatem hominis extollat. Pretio infinito redemti, filii DEI, coelorum haeredes, membra JESU Christi atque Spiritus sancti templa dicimur. „*Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi?*“ I. Cor. 6, 15. „*Emti enim estis pretio magno. Glorificate et portate DEUM in corpore vestro.*“ I. Cor. 6, 20. „*Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii DEI; si autem filii, et haeredes; haeredes quidem DEI, cohaeredes autem Christi.*“ Rom. 8, 16. „*An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a DEO, et non estis vestri?*“ I. Cor. 6, 19.

3. Quis ergo se hominem esse non toto corde glorietur? Sed ex hac ipsa ratione officium nobis incumbit, ut tantam dignitatem pro viribus tueamur. Quapropter nos identidem meminisse decet, ad quantum destinationis culmen facti, quantoque pretio redemti simus. Absit ergo, ut divitiis voluptatibusque terrenis cor apponentes in iisdem finem nostrum constituamus. Homo dignitatis suae memor erubescit rebus illis semet subjicere, quae ipso in immensum inferiores, et nonnisi ad usus suos existunt. Imo etiam in relatione ad alios homines nefas foret, si improbis eorum votis atque affectibus indignum famulatum exhiberemus. Quaecunque illorum externa conditio sit, quoad *naturam* tamen et *destinationem nostram* illis neutiquam inferiores sumus. „*Pretio emti estis; nolite fieri servi hominum.*“ I. Cor. 7, 23. Cf. S. Leo. Serm. I. de Nat. Dom.

Ast ingens hujus assertionis abusus foret, siquis inferret, legitimis superioribus nullam obedientiam deberi, vel illis, qui ope et opera nostra indigent, charitatis obsequia deneganda esse. Etenim dum legitimae auctoritati obtemperamus, revera

non hominibus, sed DEO ipsi obsequimur, a quo omnis potestas descendit. Rom. 13, 1. Pari modo dum nos aliis pios atque benignos exhibemus, denuo nil nisi divinam voluntatem exequimur. Imo Redemtor noster haec charitatis obsequia ita acceptat, ac si in illum ipsum collata fuissent. „*Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.*“ Matth. 25, 40.

4. Unde dignitatem suam lugubriter deprimunt, qui sibimet ipsis quasi venales divitibus potentioribusve indigne adulantur, vel omnino eorum nefariis consiliis instrumentorum instar deserviunt. Imo per ejusmodi turpem adulationem et mancipatum homo non tantum semet ipso, sed etiam iis abutitur, quibus tam indigne deservit; quippe quorum nutui ideo tantum se submittit, ut eorum ope suo pariter egoismo satisfaciat. Quare unicuique justa quidem reverentia atque debitus honor deferatur, ita tamen ut nihil unquam concedamus, quod conscientiae et rationi repugnet. „*Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.*“ Matth. 10, 28.

§. 258.

De officio humilitatis.

1. Sublimis, imo stupenda est hominis dignitas, si tum nativam nostram destinationem tum illas praerogativas attendimus, quibus in nova salutis oeconomia ditamur. Ast undenam haec omnia? Et quid in nobismet ipsis deprehendimus, si conditionem nostram moralem spectamus? Inprimis bona omnia, quae nobis sive per nativitatem, sive per educationem, sive per prosperum rerum nostrarum cursum obtigerunt, aliud non sunt, nisi dona DEI, a quo ceu absoluto omnis bonitatis fonte cuncta decurrunt, et ex cujus voluntate per singula momenta pendent. Quod *bona*

opera ac *merita nostra* attinet, horum quidem auctores sumus; ast praeterquam quod meritum de condigno nonnisi ex gratia sanctificante descendat, etiam voluntas nostra de torpore suo nunquam soluta et sat robusta fuisset absque gratia superna, quae mentem nostram praevenit, penetravit atque invictam fecit. „*DEUS est enim, qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate.*“ Philipp. 2, 13. „*Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est.*“ II. Cor. 3, 5. Quapropter sub omni ratione cum Apostolo sciscitari licet: „*Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*“ I. Cor. 4, 7.

2. Quid vero in nobismet ipsis deprehendimus? Profecto unusquisque nostrum in vita anteacta ingentes lacunas reperit, de quibus merito erubescit, „*nam in multis offendimus omnes.*“ Jac. 3, 2. „*Et qui dicit, se peccatum non habere, mendax est.*“ I. Joann. 1, 8. Et quot mentis nostrae maculae DEO omniscio nudae et apertae erunt, quae notitiam et attentionem nostram hucusque latuerunt, dum Apostolus ipse fatetur: „*Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non justificatus sum.*“ I. Cor. 4, 4. Imo viri sanctissimi de ipsis suis virtutibus trepidarunt, ne scilicet occulto egoismo foedatae DEI indignationem potius quam beneplacitum provocarent. „*Verebar,*“ piissimus Job inquit, „*omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti.*“ Job 9, 28. Isaias vero ait: „*Et facti sumus ut immundus nos omnes.*“ Is. 64, 6. Porro quot infirmitates adhucdum in nobis experimur! Quantum a requisita intentionis puritate distamus, et quanta est inconstantia nostra in exequendis bonis propositis! Denique ea est praesens conditio nostra, ut nonnisi per divinum Redem-

torem, atque per continuatam supernae gratiae affluentiam destinationis nostrae consortes reddamur.

3. Hanc igitur nostri effigiem in lumine veritatis conspicimus. Ast eo ipso patet, in quo consistat *humilitas*. Est nempe virtus, qua nostram tum omnimodam a DEO dependentiam, tum moralem corruptionem sincere agnoscimus. Et quidem hanc tum dependentiae tum miserandae conditionis nostrae agnitionem ad gravissima hominis officia pertinere, absque difficultate ostenditur. Jam ipsa ratio jubet, ut tales nos existimemus, quales reapse sumus. Divina autem revelatio humilitatem toties et tam enixe commendat, ut hanc virtutem ceu necessariam cujusvis boni assequendi conditionem statuat. *„DEUS superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliamini igitur sub potenti DEI manu, ut vos exaltet in tempore visitationis.“* I. Pet. 5, 5. etc. Et Christus ipse prae reliquis ad hanc sui imitationem nos invitat: *„Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.“* Matth. 11, 29. Tum vero iterato sententiam protulit: *„Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur.“* Matth. 23, 12. Praeter plurimos textus, qui in utroque Test. humilitatem expresse inculcant, huc quoque omnes illos locos referimus, qui enuntiant, nos sub omni ratione a DEO dependentes, peccatores ac miseros esse, adeo ut nulla nobis salutis spes supersit, praeterquam in gratia DEI per JESUM Christum Dominum nostrum.

4. Imo per hanc ipsam virtutem humilitatis religio nostra de novo divinam suam originem comprobat. Quamvis philosophi gentiles de reliquis virtutibus, quas morales dicimus, hinc inde praeclare scripserint, humilitatis tamen vix aliquam notionem habuisse videntur. Potius omnes illorum doctrinae intolerabilem fastum spirant. Religio autem Christi, etiamsi hominem prae omni philosophia

in immensum extollat, summam tamen animi demissionem jubet, adeo ut humilitatem non tam ceu virtutem singularem, quam potius ceu virtutum omnium necessariam basin exhibeat.

§. 259.

Continuatio.

1. Haud displicebit, si paucis ostendam, quanta sit humilitatis non tantum utilitas, sed et necessitas ad exequenda reliqua officia. Et quidem quod officia erga DEUM immediata concernit, humilitas

a) inprimis *officium fidei* expeditum reddit et quodammodo sustentat. Homo vere humilis non offenditur, ubi DEO revelanti atque Ecclesiae divinitus stabilitae semet subjicere jubetur. Potius, quia tum limitatae rationis tum reliquarum indigentiarum, quibus genus nostrum laborat, sibi conscius est, talem DEI benignissimi dispositionem quam maxime exoptat, et quamprimum per argumenta credibilitatis solidam de facta revelatione persuasionem obtinuit, eidem piissimo mentis affectu adstipulatur. Revera testante historia si non omnes, plerique saltem eorum, qui ab Ecclesia desciverunt, per fastum et arrogantiam naufragasse videntur. Et numquid non ipse Redemtor ait: „*Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis?*“ Matth. 11, 25.

b) Eodem modo humilitas *spem* et *filialem fiduciam* promovet, imo, ut §. 184. vidimus, necessariam ejusdem dotem constituit. Sane quisquis in vitae hujus arena decertat, necessario aliquem habere debet, cui innitatur. Cum igitur nos undequaque insufficientes videamus, et simul persuasi simus, omnia bona ulti-

mo nonnisi a DEO et per divinum Mediatorem exspectari posse, quid pronius, quam ut eidem non intermissa fiducia adhaereamus?

c) Demum quo magis *nostra indignitas* nobis innotuit, eo magis quoque innumera DEI beneficia, quae quotidie experimur, ad gratitudinem atque ad mutuum amorem nos provocant. Quid enim mentem hominis efficacius commovet, quam dum se ab illo beneficiis affectum videt, cujus potius indignationem et vindictam merebatur?

2. Non minus officia *nobismet ipsis* debita humilitatem pro neccessario fulcro habent. Dum enim infirmitatis nostrae conscii sumus, intelligimus plane, quanto intervallo adhuc a perfectionis culmine distemus, ad quod nos eluctari oportet; atque hoc ipso studium proficiendi accenditur, acuitur in declinandis debellandisque peccatorum illecebris requisita vigilantia, ad frequentem fervidamque orationem compellimur; res secundae, in quibus dona DEI suspicimus, nos non tam facile inebriabunt, in adversis autem poenitenti sedatoque animo dexteram benignissimi Patris osculabimur, qui, *quos amat, castigat.* Hebr. 12, 6.

3. Denique *quoad alios* in unoquoque hominum aequalem nobiscum destinationem et naturae excellentiam, imo insuper et singulares illorum dotes venerabimur; in dijudicandis perferendisque eorum infirmitatibus mites atque benigni erimus, et pulsa invidia indignaque aemulatione mens nostra ad exhibenda quaecunque humanitatis obsequia eo paratior erit, quo altius haec humilitatis virtus radices suas in illam demiserit. Paucis, da hominem vere humilem, et mox in illo omnigenae virtutis exemplar miraberis; contra *per superbiam* sublimissimus Angelus mox in horrendum daemonem degenerabit. Si exaltatus fuerit ut

aquila, et inter sidera posuerit nidum suum, hoc tamen vitium illum ad ima detrahet.

§. 260.

Nexus humilitatis cum propria sui aestimatione.

1. Absque omni difficultate ostendi potest, justam sui aestimationem humilitati haud adversari. Potius una alteram perficit, atque ambae tam arcte sibi cohaerent, ut absque dispendio genuinae virtutis a se invicem divelli nequeant. Etenim justa sui aestimatio exigit, ut identidem memores simus, quae sit destinatio nostra, et quae dignitas tum per naturam tum praecipue per divinam salutis oeconomiam nobis obtigerit. Et jam humilitas haec et quaecunque alia bona ad DEUM qua primum omnium fontem refert, nosque tales nobis exhibet, quales revera sumus, scilicet a DEO sub omni consideratione dependentes, peccatis et infirmitatibus oneratos, quique sibimet ipsi ad nullum bonum sufficiunt.

2. Quapropter qui neglecta humilitate solam sui ipsius aestimationem depraedicant, hominem de propria dignitate tumidum, arrogantem et superstitiosum sui cultorem faciunt; atvero qui destinationis dignitatisque suae immemor nonnisi ea cogitat, quibus confunditur, non tam humilis quam potius dejectus, atque indignum aliorum mancipium fiet.

3. Ast ubi justa sui aestimatio cum humilitate amice jungitur, viam ad coelum regiam tenemus. Recordatio dignitatis nostrae nos in exequenda omni justitia strenuos, et contra quoscunque insultus invictos reddit; humilitas vero novas semper a DEO vires impetrat, ac mentes nostras ad quaecunque charitatis obsequia flexibiles efficit. Unde prout Ss. Apostoli nos identidem ad humilitatem hortantur, ita quoque nos memores esse volunt, quae sit

vocatio et electio nostra, quantoque pretio redemti simus. „*Scientes, quod non corruptibilibus auro vel argento redemti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati.*“ I. Pet. 1, 18. Idipsum in gestis Sanctorum legimus. Quam promti paratique fuerunt, ut jubente charitate omnibus omnia fierent, tam immotos illos conspicimus, ubi eorum conscientia hominum improborum petitionibus annuere formidavit.

§. 261.

Vitia opposita.

1. Quaenam vitia justae sui ipsius aestimationi repugnent, jam §. 257. indigitatum fuit, dum scilicet vel cor nostrum, quod ad recipiendam Divinitatem destinatum est, rebus terrenis impendimus, vel dum per turpem assentationem coram aliis reptamus, nosque instrumentorum instar ad exequenda quaecunque illorum consilia venales exponimus.

2. Humilitati *superbia* adversatur, quam definiunt esse inordinatum appetitum propriae excellentiae. Scilicet egoismus duobus velut brachiis constat, sensualitate et superbia. Per *sensualitatem* homo in res externas, et quidem in tales diffluit, quae sensui inferiori lenocinantur; per *superbiam* vero quasi in semet ipso condensatur, dum de dotibus et perfectionibus suis inaniter sibi complacet, sese aliis potiorem et praestantiorem putat, atque non ex fine honesto, sed nonnisi ex vesano sui ipsius studio aliorum aestimationem et laudes quaerit.

Hinc qui ex fine honesto, e. g. ad promovendam aliorum salutem et sine vana complacentia honorem sibi debitum expetit, talem, prout ab egoismo, ita etiam a superbia immunem pronuntiare oportet.

3. Porro superbia in *completam* et *incompletam* dividitur. Superbia completa adest, siquis ita sese effert, ut legitimis superioribus vel DEO ipsi semet subjicere recuset, quasi nempe per talem subjectionem excellentia sua deprimeretur. Ejusdem vitii reus est, qui ita se gerit, ac si dotes ac bona sua non a DEO et per Christum, sed a semet ipso, vel certe propriis suis meritis haberet. Neque requiritur, ut id in ipsa theoria profiteatur (tum enim etiam notam haereseos incurreret); sed sufficit, quod practice de bonis suis taliter se extollat. Atque haec completa superbia peccatum certe gravissimum constituit, et nostro tempore saltem illis in locis haud infrequens invenitur, ubi tum religio positiva tum legitimi magistratus, quibus obedire necesse est, tam ferociter contemni et impugnari consueverunt. Praesertim illi in hunc censum veniunt, qui per summam rationis arrogantiam sibimet ipsis summa lex esse volunt, quique de viribus ac virtutibus suis more pharisaico intumescentes adeo delirant, ut opinentur, hominem absque divino Mediatore suis duntaxat viribus salvari posse.

4. Incompleta superbia in eo consistit, ut quis salva sua versus DEUM et superiores subjectione, de bonis suis inordinate sibi complacet, et ex mero sui ipsius studio ab aliis aestimari vel celebrari desiderat. Radix igitur hujus venenatae arboris est egoismus, et ejusdem stipites sunt inordinata complacentia de semet ipso, et studium inordinatum placendi aliis; ex hoc duplicato stipite plurimi iterum rami et palmites succrescunt. Nimirum

a) ex inordinata de semet ipso complacentia oriri solent *pertinacia*, qua quis spreto aliorum judicio propriae sententiae inhaeret, illiberalis *contemtus et neglectus aliorum*, vesana *aemulatio et zelotypia etc. etc.*

b) Ex inordinato studio placendi aliis pullulant *ambitio*, seu inordinatus appetitus honoris vel dignitatis; *vana gloria*, seu inordinatus appetitus humanae aestimationis et laudis; exinde denuo resultant *jactantia*, si per verba; *ostentatio*, si per facta; *praesumtio*, si per aggressionem operis valde periculosi; et *hypocrisis*, si per affectatam pietatem humani plausus expetuntur.

5. Non raro haec incompleta superbia occulte ac subdole se ingerit, imo sub specie ipsius profundissimae humilitatis latet. Non desunt, qui in ipsis sordibus tum sibi inaniter complacent, tum aliorum laudes et admirationem captant.

§. 262.

Continuatio.

1. Superbia incompleta generatim quidem et per se peccatum nonnisi veniale constituit; praesertim si quis huic depravatae naturae stimulo non tam directe indulget, sed nonnisi justae sedulitati deest, qua illum, quoties prorumpit, statim reprimere et continuato studio radicitus evellere deberet. Attamen etiam in hac causa omnino graviter peccari potest, idque tum per se tum per accidens. Et *per se* quidem, dum ambitio vel vana gloria in dominantem animi affectum transit, ita ut quis seclusis motivis nobilioribus ubique nonnisi propriam gloriam quaerat. Qui ita versatur, nimium quantum ostendit, vitam moralem in mente sua extinctam esse. *Per accidens* autem haec superbientis animi affectio culpam gravem involvit, quoties cum gravi laesione alterius officii conjungitur, e. g. charitatis tum sibi tum aliis debitae; prout evenire consuevit, ubi in materia gravi aliorum contemtus, praefracta pertinacia, zelotypia, praesumtio vel hypocrisis intervenit.

2. Verum etiamsi hoc spiritus inquinamentum generatim in culpam nonnisi levem imputari soleat, is tamen, qui huic affectui indulgere pergit, innumeris gratiis privatur, quae humilibus affluunt; insuper ad quaecunque alia vitia valde proclivis redditur. Unde juxta constantem Ecclesiae sensum superbia omnium peccatorum fons dicitur, et eorum, quae *capitalia* vocantur, chorum ducit; id quod praeter funestam experientiam ab ipsa etiam ratione confirmatur, prout ex iis patet, quae paulo ante de necessitate humilitatis dixi. Quis ex historia tum profana tum sacra nescit, quanta scelera et detrimenta ex hoc teterrimo fonte in utramque rempublicam dimanaverint? Praecipue in hac causa innumera peccata inadvertentiae dantur.

3. Quod vero maxime dolendum, tanta est hominum vix non omnium ad superbiam proclivitas, ut nulla alia tentatio nobis magis infesta accidat. Utcunque grave sit sensualitatem spiritui subjugare, haec tamen subjectio hominibus saltem cultioribus tantum negotium haud facessit, quam plena extinctio scintillae superbientis. Hinc et historia plurimos exhibet, qui, postquam omnia blandientis fortunae illicia animo vere heroico proculcaverant, ad exiguum punctum honoris pedem offendentes misere corruerunt. Verissima sunt, quae S. Gregorius M. ait: „*Et fortasse laboriosum non est relinquere sua; sed valde laboriosum est relinquere semet ipsum.*“ Imo pessimae huic hydrae ex ipsa reliquorum vitiorum debellatione nova non raro capita succrescunt. Qui sensui animali indulget, saltem indignitatis suae sibi conscius est, ob eamque erubescit; superbia autem sibimet complacet, et ex ipsis virtutibus novum frequenter vigorem haurit. Quare ex auctorum, qui de pietate tractant, sententia res prodigio non absimilis est hominem videre, qui *vere et ex toto corde humilis* existat. Praesertim fucata illa et subdola superbia, cujus

paulo ante mentionem feci, calcaneo hominum etiam piissimorum insidiari solet.

4. Quare ne serpens ille pulcherrimos virtutis flores depascat, vel ipsam ejus radicem commordeat, praeter plurimam orationem nulli prorsus labori parcendum est, ut interiora nostra, praecipue *momenta et motiva* actuum nostrorum sedulo perscrutemur. „*Magnus esse vis?*“ inquit S. August., „*a minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis. Et quantam quisque vult et disponit superimponere molem aedificii, tanto altius fodit fundamentum.*“

Caput II.

Officia quantum ad bona animi.

§. 263.

Partitio bonorum.

1. Justum sui amorem descripsimus, esse constantem et efficacem conatum salutem suam juxta dictamina rationis per revelationem illustratae provehendi. Quare ut quis semet diligat, requiritur, ut sibimet ipsi bonum velit, illudque rite sibi procurare studeat.

2. Distinguunt vero quatuor bonorum ordines: *a)* Primo et supremo loco occurrunt bona animi, quae denuo vel supernaturalia sunt, vel naturalia *); deinde *b)* bona

*) Revera nemo bonus est, nisi unus DEUS. Marc. 10, 18. Attamen hoc loco non de bono absoluto, sed de iis disserimus, quae naturae nostrae conveniunt, quaeque, si recte usurpantur, ad bonum absolutum nos promovent. Quo in sensu bona recensita ad regulas exactioris Logices fors ita disponenda erunt: Haec bona ad regnum vel *gratiae* vel *naturae* spectant. In regno naturae tum ipsa *nostra per-*

corporis, *c)* fama et bona aliorum existimatio de nobis, et *d)* denique bona fortunae.

2. Interim facile perspicitur, quinam omnium conatuum nostrorum apex et finis esse debeat. Scilicet nos omnes ad DEI ipsius fruitionem, seu ad bonum infinitum facti sumus; atqui DEO nonnisi per amorem frui possumus; imo DEUM perfecte diligere et ipso perfrui unum idemque est. Ergo studium perfectionis urget, ut omnes conatus nostros ad hunc demum DEI amorem collineare studeamus adeoque prout res externae, ita et cunctae facultates nostrae ita adhibendae erunt, ut charitati divinae non tantum non adversentur, sed ut ejusdem vel exercitia vel apta subsidia existant. Quem in finem scribit Apostolus: „*Si linguis hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam, . . . charitatem autem non habuero, nihil sum.*“ I. Cor. 13, 1.

§. 264.

Officia quantum ad bona supernaturalia.

1. Primum itaque locum *bona supernaturalia* obtinent, quorum tanta est dignitas, ut ex communi doctorum sententia omnem naturam in immensum transcendant. Haec eadem bona §. 193. in dona *gratiae* et *gloriae* divisimus. Quod jam donum *coelestis gloriae* attinet, cum haec in ipsissima DEI fruitione consistat, utique officium absolutum datur, ut non intermisso studio ad illam contendamus.

sona, quae *animo* et *corpore* constat, tum *res externae* se offerunt, scilicet *homines*, quorum benevolentia et bona existimatione indigemus, et *res hujus temporis*, quas divina providentia ad nostros usus concessit.

Imo omnis legitimus sui ipsius amor in hoc demum felicitatis culmen desinit. Nam *„quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua.“* Matth. 16, 26. Ex eadem ratione jubemur manum vel pedem abscindere, et oculum eruere, si ex iis scandalum patimur; quia multo melius est debilem vel claudum, vel cum uno tantum oculo ad vitam ingredi, quam hisce integris mitti in ignem aeternum. Matth. 18, 8. etc. Quapropter dici prorsus non potest, quam lugubriter illi justae erga semet ipsos charitati desint, qui nonnisi terrena sapiunt, *„quorum DEUS venter est, et gloria in confusione ipsorum.“* Philipp. 3, 19.

2. Qui vero ad finem tenetur, tenetur quoque ad media, ita ut quoad *media necessaria* veri nominis obligatio, quantum ad illa vero, quae non quidem necessaria, attamen vere *proficua* videntur, consilium de bono meliori resultet *). Atque ex hoc ipso principio in regno gratiae ingens tum officiorum tum consiliorum campus aperitur. Brevitatis gratia pauca tantum illorum delibare juvat; tum ne hucusque dicta repetere cogamur, tum quia uberiorem expositionem ad Ascesim transferimus.

3. Nulla datur salus, nisi per divinum Mediatorem JESUM Christum. Huic ergo omnes firma et indubitata fide adstipulari debemus; atque exinde officium fidei non tantum per infinitam DEI revelantis auctoritatem, sed etiam per amorem nobismet debitum vehementer urgetur. Qui-

*) Repeto, quod §. 36. et seq. evici; scilicet rigorismum humanis viribus longe superiorem invehunt, qui repudiatis consiliis ita ratiocinantur: *„Hoc vel illud ad consequendam aeternam salutem conducit, ergo ad illud obstringeris.“* Stricta obligatio ea tantum media complectitur, quae ad finem feliciter assequendum sunt *necessaria*.

cunque veram religionem culpabiliter ignorare pergunt, vel omnino praeposteris affectibus abrepti cognitae veritati refragantur, praeter alios titulos etiam pietatem evertunt, quam sibimet ipsis debent.

4. Attamen fides nonnisi theoretica nequaquam sufficit, sed eandem vivam et efficacem esse oportet. Hinc justus erga nosmet ipsos amor prae reliquis efflagitat, ut nos in statu *gratiae sanctificantis* omni modo conservare, aut fors amissam quamprimum recuperare studeamus. Quo ex principio sua quasi sponte sequens regula emanat: Quivis talem vivendi rationem teneat, ut prudenter sperare possit, se in statu gratiae sanctificantis persiturum esse.

Non diffiteor, hanc regulam applicatu valde difficilem et sat rigidam videri. „*Hoc tamen non obstante*," inquit Oberrauch, „*simpliciter docendum esse censeo, quaenam vivendi ratio sit necessaria, ut quis, se a gravi peccato semper immunem fore, sperare queat. Taceatur de obligatione sic vivendi, siquidem hoc silentium justum videatur; haec tamen satagendi ac contendendi mensura identidem et usque ad notam importunitatis inculcetur; per hoc enim multum, etsi minime totum obtinebimus. Aliqui hanc regulam sequentur, quam sequi non potuissent, si eam ignorassent.*"

Praesertim *innocentia et gratia baptismalis* summa cum sollicitudine servari atque muniri debet, ut per totam vitam illibata maneat. Lectu dignissima sunt, quae Oberrauch Tom. VI. §. 2015. et seq. de praestantia hujus gratiae disserit. „*Unde satis mirari, imo satis dolere nemo facile queat, quod ii, qui adolescentiam aut ex munere publico, aut ex privato officio curant, in explicando tanti momenti negotio tam segnes, et plerumque etiam nulli sint. Quasi vero prae omni scientia, eruditione ac civilitate morum prima integritas non esset decus sine comparatione primum. Reliqua cuncta sine hoc adolescentem parum reipsa exornant, et ingentium insuper malorum occasiones sunt.*

Sed umbratica pro veris maxime curantur, et summis male neglectis ingentes non raro conatus soli adolescentum ruinae proludunt. Nunc parvuli nostri vel etiam eorum magistri ignorant, quid sit prima innocentia, multoque magis ejus dignitatem ac felicitatem ignorant; omnium minime pervident, quanta series malorum ex unico saepe lapsu sequatur, series malorum, inquam, nonnisi totius spei de tali adolescente conceptae, sanitatis, etiam ipsius vitae, et denique salutis aeternae dispendio finienda." Ibidem §. 2020.

5. Ast nihil possumus absque gratia divina. Quare ipse iterum, quem nobis debemus, amor expetit, ut fontes illos pie frequentemus, ex quibus gratiae divinae tam largiter scaturiunt, scilicet instituta divinitus Sacramenta, poenitentiae praesertim et Eucharistiae, ac sacrificium novae legis. Huc quoque ea omnia referri debent, quae suo loco de oratione, de cultu Sanctorum, et generatim de exercitiis pietatis diximus. Quia tamen de his ceu aptis, imo et necessariis in virtute proficiendi mediis Ascesis tractat, nunc ad regnum naturae descendimus.

§. 265.

Necessitas sui ipsius abnegationis.

1. Natura nostra non tantum inferior, sed etiam rationalis facultate sentiendi instructa fuit, ita ut illico percipiamus, utrum impressiones, quas experimur, eidem conveniant, an adversentur. §. 5. Pariter certi nobis stimuli congeniti fuerunt, quibus natura ipsa, quae eidem conveniunt, attrahere, ea vero, quae ipsi adversantur, repudiare nititur. Et ex primitiva quidem idea hominis omnes tum sensiones tum stimuli talem ad se invicem relationem habere debent, ut pulcherrimo concentu ad finem nostrum ultimum feliciter assequendum concurrant. Attamen in prae-

senti hominum conditione hanc sensionum stimulorumque harmoniam misere turbatam reperimus. Quare nisi destinatione nostra excidere velimus, aliud non restat, nisi ut radios divergentes denuo ad derelictum centrum collineare satagamus, ita ut sensualitas spiritui, et spiritus ipse DEO subjiciatur.

2. Hoc idem stimulos coërcendi studium *sui ipsius abnegationem* dicimus. Qua ratione motus animi superbientis refrenari debeant, paulo ante §. 261. et seq. ostensum fuit. Superest igitur, ut generales quasdam regulas de subjuganda sensualitate statuamus, quas deinde per decursum ad praecipuas sensionum stimulorumque species applicabimus.

3. Itaque negotium sat arduum nobis incumbit, dum naturam degenerem rationi, vel potius legi divinae plene subjicere jubemur. Quam atrox bellum hoc intestinum futurum sit, ex ipsis verbis patet, quibus divina scriptura illud enuntiat. Jubemur enim, ut pauca tantum allegem, *odisse* patrem et matrem, imo et animam nostram, Luc. 14, 26.; facta carnis per spiritum *mortificare*, Rom. 8, 13.; carnem nostram *crucifigere*, Gal. 5, 24., et quae sunt aliae hujus tenoris expressiones. Frustra tamen homines vitiis assueti obtendunt, hanc naturae subjugationem sibi possibilem non esse. Etiamsi enim motus, qui rationem praecurrunt, vel nobis invitis desaevire pergunt, haud ex nostro arbitrio pendeant, ipse tamen consensus iisdem praestitus nunquam non ex libera voluntate descendit, atque ne succumbamus, DEUS, qui nos in hanc arenam descendere jussit, etiam vires suppeditabit. „*Fidelis est enim DEUS, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.*“ I. Cor. 10, 13.

4. Similiter patet, hoc semet abnegandi officium esse

universale, idque sub duplici ratione, tum quod omnes omnino sensiones et appetitus afficiat, quatenus ex nostra libertate pendent; tum quod nemo nostrum, quotquot sumus, ab illo eximatur. Itaque inprimis haec sui abnegatio non tantum ad appetitus animales, sed ad sensus quoque interiores, et generatim ad omnes facultates extenditur, quae et quatenus determinationi liberae voluntatis subsunt. Pari modo, prout originaria stimulorum harmonia in unoquoque nostrum turbata invenitur, ita quoque nos omnes ordinem interceptum restituere, atque motus evagantes ita coërcere tenemur, ut destinationi nostrae jam non obsistant. Quia tamen pro diversitate indolis, educationis etc. concupiscentia nobis congenita diversos modos subire solet §. 123., non eadem in omnibus pugnandi ratio requiritur. Ubi alius horrendis tentationum fluctibus jactatur, alius fors nonnisi leves naturae recalcitrantis titillationes persentiscit, et sic etiam alius ad hoc vitium magis propendet, alius vero ad oppositum. Hinc omnes quidem ad pugnam semper paratos et in ipso certamine strenuos esse oportet, ita tamen ut arma praecipue in illam partem vertamus, ubi ex singulari propensione ac infirmitate nostra luctamen magis periculosum urget. Ex quibus denuo elucescit, quam necessarium sit, ut unusquisque semet ipsum sat cognitum habeat.

5. Verum haec omnia cassa erunt, nisi etiam spiritus ipse DEO subjectus sit, et DEUS solus omnium finis ultimus existat. Unde non pauca phaenomena dantur, quae speciem quidem insignis sui abnegationis prae se ferunt, reipsa vero turpissimum animi mancipatum produnt. Quantam violentiam e. g. femina ad placendum composita, homo avarus, vel hypocrita sibi infert, ut perverso suo affectui satisfaciat! Quia tamen ejusmodi homines nonnisi semet ipsos petunt, non attentis victoriis, quibus appetitus

sensuales protrivisse videntur, adhucdum sub immiti egoismi jugo incurvantur. „*Et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*“ I. Cor. 13, 3.

6. Vix opus erit, ut denuo moneam, hanc sui ipsius abnegationem neutiquam ita intelligendam esse, ac si quasdam ex nostris facultatibus destruere oporteat; id enim fanaticorum est. Nos etenim nullum corporis nostri dominium habemus, sed toti quanti DEI sumus; unde nihil eorum, quae ad nostram personam spectant, delere licet, sed nonnisi turbatam stimulorum harmoniam restituere jubemur. Absit, ut ad exemplum quorundam veterum philosophorum corpus seu materiam *aliquid mali* arbitremur, quod proinde omni modo enecari debeat.

7. Denique quia appetitus nostri duplici modo se exserunt, *attrahendo* scilicet et *repellendo*, duae quoque abnegationis species resultant, quarum primam *continentiam*, vel etiam temperantiam, alteram vero *fortitudinem*, utramque in sensu latiori acceptam, vocare licet, juxta notissimum illud: *Abstine, sustine.*

§. 266.

Continentia in sensu latiori.

1. Primam propriae abnegationis partem continentiam diximus, quae in sensu latiori sumta generatim gaudiis et oblectationibus, quibus natura inhiat, modum et limites ponit. Haec naturae refrenatio inprimis expetit, ut abstineamus ab oblectamentis illicitis; tum vero ut gaudiis etiam concessis eatenus solum utamur, quatenus voluntati divinae non adversantur.

2. Inter oblectamenta illicita sat magnum discrimen datur; quaedam enim absolute prohibentur, ut delectatio venerea extra legitimum conjugium; alia vero *hypothetice*

tantum, scilicet ratione temporis, loci, imminentis periculi, scandali etc. Unde ab illis absolute, ab his vero eatenus solum arcemur, quousque rationes, quibus prohibentur, subsistunt.

3. Alterum est, ne gaudiis etiam honestis abutamur. Hunc in finem solicite caveri debet, quidquid vel respectu *intentionis*, vel ratione temporis, modi etc. inordinatum est, vel officiis altioribus obstat *).

§. 267.

Patientia et mansuetudo.

1. Prout inter rerum illecebras, ita quoque inter adversa inordinatum naturae impetum refrenari oportet. Atque sub hac ratione plures denuo virtutes resultant, praesertim *patientia et mansuetudo*, quarum illa in rebus adversis tristitiam, haec vero iram moderatur. S. Thom. 2, 2. Q. 136. Art. 6.

2. Quare patientiam virtutem dicimus, qua tristitia ex malis praesentibus oriunda ita cohibetur, ut rationi, officiisque altioribus haud adversetur. Huc ceu partes *continentiam animi* referunt, qua mala irruentia excipiuntur; *aequanimitatem* inter ipsas adversitates, demum *constantiam*, qua neque diuturniori malorum tractu, neque aucta illorum vi nos concuti permittimus.

3. Mansuetudinem S. Thomas definit, esse virtutem, quae secundum rectam rationem iras moderatur. Atque eadem haec virtus, ubi a praeposito in subditum exercetur, *clementia* dicitur.

*) Ast quem latet, talem gaudiorum usum in praesenti hominum conditione difficillimum esse? Hinc pii Scriptores quasi certatim urgent, ut saepe ab oblectamentis etiam licitis abstineamus. Nemo, ubi revera de aliquo officio agitur, facilius vincet, quam victoriis assuetus.

4. Quanta utriusque virtutis necessitas sit, ex ipsa earundem descriptione patet. Hinc etiam in sacris paginis saepissime, et energice semper commendantur. Cf. Hebr. 12, 1. seq., I. Pet. 2, 21. seq., Philipp. 2, 5. seq., Matth. 11, 29., Eph. 4, 31.

5. Attamen virtus patientiae haudquaquam postulat, ut casus adversantes haud sentiamus; id enim fieri prorsus nequit; sed tantum, ut sensum istum mitigare, atque per imperium rationis moderari conemur. Unde et lacrymae, moderatae querelae aliaeque doloris manifestationes patientiam non evertunt, sed frequenter cum summa animi fortitudine junguntur. Imo fieri solet, ut pectus dire compressum per has ipsas doloris significationes multum relevetur, tumque praesentem calamitatem facilius perferat. Quare dummodo justa erga DEUM resignatio non desit, atque resiliens natura imperium rationis haud aspernetur, sensus iste hominem neutiquam dedecet. Redemtor ipse tum malis aliorum illacrymatus fuit, tum etiam instante sua passione coepit contristari et moestus esse. Matth. 26, 37. Imo Apostolus testatur, illum in diebus carnis suae preces supplicationesque cum clamore valido et lacrymis obtulisse ad eum, qui posset ipsum salvum facere a morte. Hebr. 5, 7.

6. Similiter *mansuetudo* non omnem vehementiorem affectum excludit; potius, ubi mitiora non sufficiunt, ad propugnandam justitiam vires etiam firmiores exserere, atque pro virtute aliquid audere oportet. Id ex ipso honestatis principio eruitur, quo DEUM ex *omnibus viribus* diligere jubemur; atque ut de zelante Elia aliisque exemplis taceam, quae in utroque Testamento commendantur, id ex gestis ipsius Redemtoris patet, qui non tantum Pharisaeos de eorum perversitate vivo indignationis affectu redarguit, sed etiam, cum templum profanatum videret, vendentes ementesque ex illo ejecit. Luc. 19, 45. Prae reliquis

hoc officium illos spectat, quibus aliqua auctoritas in alios competit, e. g. parentes, animarum pastores, magistratus etc. Verumtamen qualiscunque ratio ad talem indignationem nos provocet, nunquam tamen fas est, ut dimisso rationis freno solo sensu agamur, vel ut, dum vitia persequimur, personas ipsas oderimus. Et sane res est difficillima in tanto naturae concitatae impetu ita sibi temperare, ut ratio imperium suum inconcussum retineat. Insuper in hac causa ingentes deceptiones illusionesque philautiae dantur. Praesertim in cura animarum omnia prius tentanda sunt, ut animos immorigeros monitis ac precibus flectamus, antequam fulmina illa arripiantur, quae munus nostrum nobis suppeditat. Generatim nemo secure irascitur, nisi ad exemplum Christi mitis sit et humilis corde.

§. 268.

Praecipua subsidia.

1. Ipsa ratio ad animum inter adversitates placandum sat multa momenta suppeditat, quae in scriptis philosophorum passim occurrunt. Attamen ex sola philosophia frustra tantam animi constantiam exspectamus; haec enim nonnisi ex vera religione scaturit, quae nobis non solum efficacissima motiva, sed supernas quoque vires ministrat. Praecipua motiva, quibus religio nostra omnem philosophiam infinities praecellit, fere haec sunt:

a) Quidquid nobis accidit, ex sapientissima Patris nostri, qui in coelis est, dispositione proficiscitur. „*Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere; multis passeribus meliores estis vos.*“ Matth. 10, 29.

b) Revera Pater coelestis in omnibus benignissima erga nos consilia fovet. „*Quem enim diligit Dominus, castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit.*" Hebr. 12, 6. „*Scimus autem, quoniam diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti.*" Rom. 8, 28.

c) Generatim ad patriam coelestem non datur alia via, quam per multas tribulationes. „*Christum ipsum oportuit pati, et ita intrare in gloriam suam.*" Luc. 24, 26. Unde haeredes quidem DEI sumus et cohaeredes Christi, si *tamen compatimur, ut et conglorificemur.* Rom. 8, 17. Imo divinus Redemtor aperte protestatur: „*Qui vult venire post me, abneget semet ipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.*" Matth. 16, 24.

d) Simul vero pro transitoriis aerumnis aeterna nobis et abundantissima gloria promittitur. „*Id enim, quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.*" II. Cor. 4, 17.

e) Non minus religio nostra pulcherrimis patientiae exemplis abundat, inter quae citra omnem comparationem illud ipsius Redemtoris eminet, qui propter nimiam charitatem, qua dilexit et redemit nos, tanta pro nobis perpessus est. Et quis ad computandos omnes illos sufficiet, qui tum in libris utriusque Testamenti, tum in historia ecclesiastica ceu exempla patientiae prorsus heroïcae fulgent?

f) His demum suavissimae promissiones accedunt, fore, ut infirmitas nostra per abundantissimas gratias sustentetur, prout per decursum iterato ostensum fuit. Imo christiana revelatio aerumnas hujus temporis ita exhibet, ut de illis etiam gaudere oporteat. „*Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam*

ipsorum est regnum coelorum." Matth. 5, 10. Revera Apostoli „*ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati.*" Act. 5, 41. Idipsum de reliquis adversitatibus obtinet: „*Gloriamur in tribulationibus scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem spes non confundit.*" Rom. 5, 3. etc. Etenim „*non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.*" Ibid. 8, 18.

2. Prae reliquis frequens consideratio Redemtoris nostri pro nobis patientis huc facit. Notatu dignissima quoque sunt, quae S. Greg. M. hunc in finem consulit, scilicet:

a) Ut adversitates et molestias, quae imminent, jam praevie nobis repraesentemus, ne imparatos nos offendant; et

b) ut, dum aliorum infirmitates et excessus aspicimus, nostra pensitemus delicta, quibus ipsimet DEUM aeque ac proximum toties lacessimus. Vid. ejusdem Moral. l. 5. cap. 20.

§. 269.

Peccata opposita.

1. Patientiae inordinata inter adversitates tristitia opponitur, quae multiplici modo se exserit, nimirum *erga DEUM* per diffidentiam, odium blasphemias etc. *Erga seipsum*, dum homo impatiens semet vesane torquet, media opportuna negligit, sanitatem atque fortunam suam pessumdat etc. Demum *erga alios*, quos suis tum suspicionibus, tum querelis et molestiis varie exercet *).

*) Dum de gravitate hujus peccati quaeritur, refert, quous-

2. Mansuetudini *ira* adversatur, quae, ut hic illam accipimus, generatim inordinatum taedium exprimit ob offensam, vel injuriam, quam nobis, aliisve illatam arbitramur. Et siquidem taedium istud cum sola displicentia erga injuriae auctorem conjunctum sit, *indignatio*, si vero studium vindictae accedat, *ira* in sensu strictiori dicitur, ceu inordinatus appetitus *vindictae*, vel *quasi vindictae*, qua quis contra res etiam irrationales, vel inanimatas infremiscit.

3. Absque dubio omnis inordinata ira hominem dedecet, eumque sui magis minusve impotem facit. Unde in aliquo sensu huc transferri potest, quod Christus ait: „*In patientia vestra possidebitis animas vestras.*“ Luc. 21, 19. Praesertim res est ad horrorem facta hominem videre, qui vehementi ira abreptus tumultuatur, vel omnino spectaculum furibundi exhibet. Quis in tanto stimuli inferioris turbine adhucdum naturam rationalem ac DEI imaginem agnoscat? Praeterea hoc peccatum plerumque multis aliis stipari solet. In nobismet ipsis exinde sanitas corporis, et interdum omnis nostra fortuna pessumdatur; erga alios odia et diutini rancores, contumeliae et rixae, imo et caedes cruentaque funera resultant; et quantum ad DEUM homines praecoci ira abrepti non raro in tremendas blasphemias atque in formalem sacrorum contemtum prorumpunt.

4. Et quod in hac causa pessimum, omnis irascens iram suam *justam* arbitratur. Quapropter unusquisque singulariter sibi invigilet, ne sub obtentu justitiae soli affectui

que, seu ad quas transgressiones aliquis per impatientiam se abripi permiserit. Attamen facile concedo, in *consideratione subjectiva* malitiam saepe imminui. Tetrica indoles, vis morbi, aetas repuerascens, subita mentis perturbatio etc. reatum saepe extenuant.

concitatae naturae famuletur; et quamvis affectus ipse fors approbari debeat, ne tamen ratio per tumultuantem sensum evertatur. Res est periculosissima inter tantos fluctus naviculam suam rite gubernare, ut nonnisi ductum rationis sequatur. Et illi quidem, qui ad causam suam tuendam convicia, calumnias et hujusmodi media adhibent, utique satis ostendunt, quo spiritu ducantur.

5. Praesertim illi sollicite sibi cavere debent, quibus vehemens indoles est, vel qui tali ex obvia offensione irascendi consuetudine laborant. Et siquidem tales huic suae propensioni efficaciter obnituntur, eorum lapsus omnino excusari, vel saltem mitigari debent; qui vero naturam praecipitem edomare non satagunt, frustra se excusant. Etiamsi in ipso sensus ebullientis tumultu sui sat compotes non sint, mediate tamen hae tempestates illis imputandae veniunt. Tales profecto tum de neglectu justae abnegationis, qua sibi temperare deberent, tum de plurimis aliorum offensis, atque de reliquis, in quae prorumpunt, e. g. de blasphemiis etc. culpam sat magnam sibi coacervant.

6. Quantum in hac naturae saevientis mitigatione per continuata exercitia proficere possimus, ab exemplis constat. Solum S. Franciscum Salesium commemoro, qui, ut ipse fatebatur, per constans emendationis studium indolem, quam a natura sat vehementem acceperat, ita edomuit, ut divini Redemtoris, qui adeo mitis erat et humilis corde, perfectissimum ectypon videretur. Praesertim nos sacerdotes patientia prorsus insigni armatos esse oportet, tum ut etiam ex hac parte simus exemplum gregis, tum ut in exequendo munere pastorali non tumultuarie, sed prudenter et in spiritu lenitatis agamus. „*Qui patiens est, multa gubernatur prudentia; qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam.*“ Prov. 14, 29. Utique pro justitia etiam

decertare oportet; ast etiamsi hinc inde severitas adhibenda videatur, haec tamen nunquam non charitatem prae se ferat. Scilicet, ut jam supra adverti, saepissime in hac causa fallimur. Pulcherrime huc visio applicari potest, qua Dominus in monte Horeb Eliae apparuit. III. Reg. 19, 11. et seq.

His suppositis jam potissimas bonorum naturalium species perlustrabimus; *potissimas*, inquam; nam singula quaeque bona percensere nimis longum foret; cumque eadem de omnibus principia obtineant, difficile non erit ea, quae de praecipuis bonorum generibus astruimus, ad subjectas species applicare.

§. 270.

Facultas intelligendi.

1. Brevitatis causa multiplices hujus facultatis vires, quas §. 3. indigitavi, haud enumeramus, sed eandem generatim in *productivam* et *reproductivam* dividimus. Quod jam intellectum seu vim intelligendi productivam attinet, haec facultas, praesertim *rationalis*, hominem non tantum prae reliquis animantibus insignem reddit, sed etiam intime cohaeret cum vera destinatione nostra. „*Si enim lumen, quod in te est, tenebrae sunt, ipsae tenebrae quantae erunt?*" Matth. 6, 23.

2. Quare absit, ut hanc nobilissimam facultatem directe vel etiam citra intentionem hebetemus destruamusve. Huic igitur officio adversantur, quicunque intemperantia et luxuria, vel etiam nimia studiorum contentione vim ingenii obtundunt; et praesertim, ut suo loco dicetur, qui per potus inebriantes usum rationis etiamsi ad tempus nonnisi breve evertunt. Potius vim excellentem adeo pro data opportunitate perficere ac perpolire decet.

3. Dum vero de cognitionibus quaeritur, quas unus-

quisque sibi comparare debet, facile respondemus. Scilicet *proxime* intellectus noster factus est ad veritatem, id quod et sensus cujusvis intimus et consensus omnium testatur. §. 8. Quare summum nefas foret intellectum a veritate detorquere atque errore imbuere. Sub hac igitur ratione, dum nempe *proximam* intellectus destinationem attendimus, suprema lex erit, ut sincero veritatis amore ducti illam et sedulo inquirere, et inventam pie complecti studeamus. Revera omnes hoc veritatis studium profitentur; tanta est enim ipsius pulchritudo, ut etiam impudentissimus de ejusdem neglectu erubescere cogatur. Ast nihilominus rari non sunt, qui vel ex praeconceptis opinionibus vel ex occulta mentis perversitate veritatem aspernantur, imo persequuntur etiam. „*Omnis enim, qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.*“ Joann. 3, 19. Et inter eruditos quidem haec veritatis impugnatio plerumque ex turgida superbia, ex inepto pudore errores suos fatendi, ex studio placendi potentioribus, vel ad conciliandum sibi genium temporis descendit.

4. Ast prout reliquae facultates, ita et vis intelligendi ultimo hunc in finem nobis concessa fuit, ut ad plenam aeternamque DEI fruitionem pertingamus. Unde intellectu nostro equidem nunquam abuti, seu eundem conceptibus erroneis imbuere licet; attamen ita simul excoli ac perfici debet, ut charitatem atque omnimodam officiorum executionem non impediat, sed promoveat potius. „*Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam, charitatem autem non habuero, nihil sum.*“ I. Cor. 13, 2. Et utique cum DEUM ex *omnibus viribus* diligere jubemur, intellectus ab hoc universali praecepto exemtus non erit.

5. Revera inter diversas cognitiones plurimum discriminis datur; quaedam enim illarum in hominibus, qui sui

compotes vivunt, sunt prorsus *necessariae*, aliae vero sunt *utiles*, et quaedam denique etiam *nocivae* esse solent; dum nempe in moderna hominis infirmitate phantasiam et appetitus animales periculose irritant, vel charitati fraternae adversantur, vel quibuscunque rationibus altioribus repugnant.

§. 271.

De prudenti sciendi studio.

1. Ex his absque negotio intelligitur, in quo prudens sciendi studium consistat. Cum enim omnia ex ultimo hominis fine dimetiri oporteat, ratio per revelationem illustrata sequentes leges dictat:

a) Primo omnium illas cognitiones nobis comparare jubemur, quae ad destinationem nostram feliciter assequendam sunt necessariae. Huc igitur referri debent: Ut cognoscamus DEUM, et quem misit, JESUM Christum, Joann. 17, 3.; insuper notitia finis, ad quem creati sumus, et praesentis conditionis nostrae; et demum sufficiens cognitio officiorum, quae nobis tum generatim, tum spectata vocatione nostra incumbunt, eorumque, quae ad haec officia rite explenda necessario requiruntur.

b) Cognitiones necessarias illae excipiunt, quae vere utiles videntur; quibus proinde ita vacare oportet, ut neque notitiae necessariae, neque aliae rationes altiores exinde negligantur. Verum etiam inter eas, quas utiles dicimus, non eadem ratio est; sunt enim aliae aliis utiliores, cumque facultas nostra ad omnes haud sufficiat, talis instituatur selectus, ut illas praeferamus, quae ad exequenda officia, quibus in stadio nostro constringimur, propius faciunt.

c) Quod demum cognitiones periculosas et nocivas atti-

net, ita circa illas versemur, ut, quidquid officiis altioribus repugnat, libenter nesciamus; quae vero imaginationem et partem animalem vehementer afficiunt, non temere, sed nonnisi urgente gravi ratione, tumque necessariis cum cautelis addiscamus, dum e. g. vi muneris nostri materiam lubricam exactius scrutari cogimur.

2. Vitia huic sciendi studio opposita praecipue haec sunt: Inprimis per defectum peccari solet, dum scilicet mentes ignavae cognitiones necessarias vel saltem vere utiles sibi comparare negligunt. Fontes hujus negligentiae plerumque sunt vel naturalis animi torpor, quo plurimi oscitari et vitam mere animalem vivere consueverunt; vel curae ac sollicitudines hujus saeculi, quae mentem aggravant, ac omne sibi tempus vindicant; vel denique occultum veritatis odium, eoquod praeposteri affectus lucem perhorrescant. „*Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem; erant enim eorum mala opera.*“ Joann. 3, 19. De gravitate hujus neglectus, praesertim ubi veritates revelatae et officia status culpabiliter ignorantur, §. 117. seq. diximus.

3. Sed etiam illi officio suo desunt, qui seclusis motivis altioribus nonnisi studio celebritatis literariae, vel ex quocunque impulsu putidi egoismi diversissimas notitias captant. Cumque tales ex suis cognitionibus non solidam utilitatem, sed nonnisi inanem splendorem quaerant, plerumque evenit, ut neglectis necessariis talia sectentur, quae minus utilia, vel plane periculosa sunt, atque ut obtentu talium studiorum ipsa quoque muneris sui officia negligant. Et sane quot in republica literaria inveniuntur, qui immensis quidem scientiarum thesauris ditati in scientia tamen salutis jejuni sunt, atque vel intolerando fastui, vel etiam

pudendis voluptatibus indulgent? Scilicet scientia, quae ex charitate nascitur, atque in charitatem iterum desinit, tanti est, ut nemo eam sat praedicare queat; ubi vero soli egoismo deservit, inter periculosissimas serpentis infernalis fallacias connumerari debet. Pulcherrima sunt, quae in libello de imit. cap. 2. et 3. libri I. de hac infrunita sciendi cupiditate dicuntur.

4. Per excessum peccant, qui se libris ac literis ita devovent, ut vel vires tum mentis tum corporis praemature frangantur, vel ut haec studiorum assiduitas in detrimentum officiorum cedat, quae alicui e. g. ex munere pastorali, vel sub quacunque ratione incumbunt. Quantacunque scientiarum dignitas sit, nos tamen semper meminisse decet, non nobis, sed DEO nos vivere.

5. Ex quibus eliquescit, etiam in cultu animi haud *exiguam sui abnegationem* requiri. Haec est nempe tristissima sors nostra, ut praeposterus nostri ipsorum amor nobiscum adolescat, nobiscum studeat, et per ipsa studia, nisi singulariter nobis invigilemus, quam maxime nutriatur. Denique vivus religionis sensus nullibi tam facile extinguitur, quam inter profana studia. Quae quidem ita dicta sunto, ut non prudens sciendi studium, sed nonnisi propinquos ejusdem abusus feriant. Verissimum est, quod S. Bernardus ait: „*Scientia sine charitate inflat, charitas sine scientia aberrat; scientia cum charitate aedificat.*“

§. 272.

De imaginatione.

1. Ne acquisitae cognitiones mox iterum dilabantur, sapientissimus Conditor nobis etiam facultatem indidit ea, quae percepimus, retinendi reproducendique. Has inter vires, quas *reproductivas* vocamus, praecipue *imaginatio*

multam attentionem meretur, qua fit, ut perceptas rerum imagines non tantum vivis coloribus nobis repraesentare, sed easdem etiam diversimode ad se invicem conjungere, nobisque, si ita loqui fas est, novum quasi coelum et novam terram efformare possimus.

2. Haec eadem facultas, ubi rite excolitur, ac justos intra limites continetur, virtutem nostram egregie juvare solet. Exinde enim mens ipsa plurimum mansuescit, morum externa compositio suavior et jucundior redditur, ex contemplatione rerum, quas DEUS tam mire disposuit, purissima gaudia in nos redundant, atque universa nostra activitas plurimum inde vigoris atque amoenitatis haurit.

3. Ast vae homini, cujus imaginatio evagari vel omnino debacchari coepit! Tum enim inprimis cognitio veritatis plurimum impeditur. Homines, qui non ratione, sed sola imaginatione ducuntur, ad constantem veritatis intuitum aeque inepti sunt, ac aqua turbida ad rerum adjacentium effigies formandas; cumque nonnisi imaginibus rerum corporearum occupentur, simplicissima veritas jam suapte indole illos subterfugit. Eadem infrenis phantasia ingentem vim in sensus inferiores edit, utpote quae non tantum praesentia, sed etiam praeterita et futura sensuum illicia ad vivum exhibere, imo artificioso penicillo suo plurimum exaggerare solet. Praesertim virtus nostra tum praesentissimo discrimini objicitur, quando phantasia imaginibus lubricis atque lascivis turget. Et haec quidem tristi experientia nimium sane confirmantur. Ut de illis taceam, quorum imaginatio identidem objectis turpibus luxuriatur, etiam illi, qui phantasia honesta quidem, attamen praecoci et indomita laborant, plerumque solis fere sensibus eorumque affectionibus aguntur. Hinc ad omnem auram versatiles modo indigna animi levitate et effusa laetitia exultant, modo tristitia atque moerore tabescunt, et in nullo sibi con-

stant, praeterquam in hac ipsa mentis inconstantia. Praesertim ejusmodi homines tum se tum alios exinde torquent, quod ad definitam vivendi conditionem semet determinare nesciant, vel ubi certam stationem occuparunt, nunquam contenti vivant; cum enim exorbitans eorum phantasia per fictitia semper spatia volitet, omnia, quae in ipsa rerum natura experiri coguntur, illis insipida et contemnenda apparent. Praesertim semet infelicissimos autumare solent, ubi statum ingressi sunt, quem jam non amplius mutare licet; tum enim effrenata phantasia pari cum fallacia molestias propriae conditionis ceu nullo modo supportandas, aliorum vero felicitatem ceu summam et omnibus numeris absolutam exhibet, sicque eorum vires inutiliter ac vesanis planctibus atteruntur.

4. Quodsi phantasia ita incalescat, ut usus rationis ex parte saltem penitus intercipiatur, *bacchari* dicitur; dum nempe homo vel quoad omnia vitae negotia spectaculum *somniantis* exhibet, vel, prout loquimur, fixa quadam idea laborat, ita ut usus rationis quoad certa tantum objecta interruptus sit. Quam sit miseranda horum conditio, utique descriptione haud indiget; unde non illudere illis, sed potius condolere atque benignam eorum curam gerere oportet, ut dignitas humana, quam ipsimet tueri nesciunt, per obsequia fraternae charitatis foveatur.

5. Ast prae reliquis illi moestissimum nobis spectaculum oggerunt, qui per emotam phantasiam in ipsa religione delirant. Haec porro phrenesis in mysticismum et fanatismum dividitur. De mysticismo jam §. 232. egimus. Qui hoc morbo vehementius decumbunt, non tantum cuncta sua officia meris affectiunculis confecta autumant, sed plerumque etiam sibi de singulari DEI familiaritate blandiuntur, atque figmenta febricitantis cerebri pro certissimis superum oraculis habent.

Sed attendas iterum, ne pro quorundam more etiam mentes illas piissimas de spurio mysticismo condemnes, quas divina providentia revera per vias extraordinarias ad optatum terminum deduxit. Omissis reliquis unam S. Theresiam nomino. Profecto plus quam temerarium foret Spiritui sancto praescribere, quousque in mentes vere devotas operari, et ubinam gratiarum affluxus cessare debeat. Ast praeterquam quod ejusmodi extraordinarii favores perrari sint, etiam a vesanis illusionibus phantasiae in immensum differunt, praesertim per animi sobrietatem et demissionem, qua stipantur, atque per fructus, quos producunt. „*Fructus autem Spiritus est: Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.*“ Gal. 5, 22. etc.

6. Dum vero ebulliens phantasia in saevum furorem prorumpit, *fanatismus* dicitur. Fanaticorum est, ut sensu humanitatis vix non extincto et turbido impetu abrepti vel in semet ipsos desaeviant, vel commenta sua igne ferroque dilatare anhelent. Quod tum mysticismum tum fanatismum maxime horrendos reddit est, quod uterque, ubi semel debacchari coepit, vix iterum restringi queat. Qui taliter fascinantur, rationes non admittunt, per vim vero externam magis adhuc irritari solent. Ferociens phantasia figmenta sua eo arctius amplexatur, quo chariori pretio eidem constiterint.

§. 273.

Continuatio.

1. Quae cum ita sint, magna iterum sollicitudo requiritur, ne, dum imaginationem studio bonarum artium excolimus, genio corruptae naturae nimis indulgeamus. Hunc in finem nos in aetate praesertim juvenili in librorum selectu admodum cautos esse oportet, eoquod plurimi dentur, quos nonnisi corrupta phantasia effudit. Quantum detrimenti ex libris romanensibus in juventutem redundet, a viris

gravissimis jam multoties ostensum fuit, et per experientiam lugendum in modum confirmatur. Per talem lectionem tota imaginatio conspurcari, stimuli animales succendi, atque corda effeminata perversissimis affectibus imbui solent; simul vero omnis religionis sensus extinguitur, et ipse intellectus a veritate misere detorquetur.

2. Insuper ad coërcendam phantasiam multum confert, si talibus incumbamus studiis, quae tum rationem tum intellectum et memoriam magis exercent. Hujusmodi notitiae adinstar saburrae sunt, qua mens nostra, ne imaginariis ideis abripiatur, aggravari debet. Vir in rerum humanarum historia sufficienter versatus in omni vitae genere nonnisi humana multisque defectibus obnoxia exspectat, et hoc ipso status sui incommoda pia cum resignatione suffert.

3. Generatim vero, quia phantasia toties nobis illudit, nobismet ipsis diffidere, atque in causis saltem gravioribus aliorum consilium implorare decet, quos judicii maturitate et rerum experientia praestantes novimus.

§. 274.

De sensionibus aestheticis.

1. Nunc ad sensiones progredimur, quas pro diversitate naturae nostrae vel animales vel rationales dicimus. Has inter locum quasi medium *sensiones aestheticae* occupant, utpote quae partim *sensus inferiores* suaviter titillare solent, partim vero ex *rationali phantasia* descendunt, qua summam et absolutam pulchritudinem percipimus. Prout enim ratio nostra absolutam veritatem, infinitum bonum atque immutabilem justitiam percipit, ita etiam aeternam absolutamque pulchritudinem intuetur vel persentiscit potius, quae, ubi ex rebus creatis ceu totidem ectypis refulget, mentem nostram mire recreat. Unde quisquis

rationis compos non est, etiam idea pulchri destituitur, atque id, quod in rebus creatis pulchrum dicimus, non tam in partium harmonia et concinnitate, sed potius in eo residet, ut pulchritudinem aeternam seu *ideam pulchri* ex tali partium harmonia resplendentem spectemus.

2. Quare sensiones aestheticae, praeterquam quod mentem suavissime refocillare consueverint, jam suapte indole hominem insigniter ornant, quippe qui in omni pulchro pulchritudinem absolutam percipimus, atque prae cunctis reliquis animantibus harum sensionum capaces sumus. Quia tamen hae sensiones de utraque hominis natura participant, inter illas plurimum discriminis datur; fieri enim potest, ut vix non unice in demulcendis *sensibus inferioribus* occupentur, imo ut etiam morum integritas exinde periclitetur; vel e contrario, ut rationem ipsam seu potius rationalem phantasiam magis afficiant, eique aeternam pulchritudinem proxime contuendam praebeant.

3. Verum prout reliquae facultates, ita etiam sensus aestheticus tali modo excolatur, ut perfectioni morali non tantum impedimento non sit, sed ut ad illam potius conducat. Maxime falluntur, qui docent, artem aestheticam a regulis honestatis independentem esse, eique aliam curam haud incumbere, nisi ut *ideam pulchri* exhibeat. Profecto plena destinatio nostra in sola DEI fruitione consistit, atque ad hanc nonnisi per *charitatem* pertingimus; huic igitur, quamdiu in via sumus, omnes omnino facultates deservire debent, atque illico degenerant, quamprimum eidem obnituntur. Vel dum DEUM ex *omnibus viribus* diligere jubemur, quis adeo desipiet, ut ab hac universali lege sensum aestheticum exceptum esse dicat? Et quid demum tum singulis tum toti reipublicae proderit, si artes liberales ad supremum quidem perfectionis culmen evehantur, religio vero et morum honestas magis magisque dispareant?

„*Si linguis hominum loquar, et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans, aut cymbalum tinniens.*“ I. Cor. 13, 1.

4. Revera studium, quo sensus aestheticus perpolitur, pericula haud contemnenda habet. Inprimis timendum est, ne phantasia exinde nimium incalescat, vel omnino lascivire incipiat; tum vero, qui in hisce artibus magis profecerunt, nimis frequenter vana gloria ducuntur, reliqua christiani hominis officia negligunt, tetrici ac singulares in sensu suo abundant, et quod pessimum, ingenio suo non raro ad effingendam commendandamque impietatem abutuntur. Et quidem quo majori arte ejusmodi opera, quibus pudicitia vel religio laeditur, efformata fuerint, eo majorem quoque perniciem afferre solent, quippe quae avida manu prensantur, et fors per generationes perennant.

5. Quapropter in hisce studiis, ne fors in nostram aliorumque perniciem vergant, ingens iterum sui abnegatio requiritur. Apostolus certe aestheticos haud excepit, dum ait: „*Non efficiamur inanis gloriae cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.*“ Gal. 5, 26. Neque obtentu exquisitae artis sententiam Christi declinabunt: „*Vae homini illi, per quem scandalum venit.*“ Matth. 18, 7.

§. 275.

Sensiones sublimiores.

1. Sensiones sublimiores dicimus, quae soli naturae rationali respondent. Equidem, ut paulo ante dixi, etiam sensiones aestheticae seu ex perceptione pulchri haustae nonnisi naturis ratione praeditis conceduntur; quia tamen ex parte sensus etiam inferiores afficiunt, easdem mixtas vocavimus. Quare nomine *sensionum sublimiorum* praecipue illae nobis veniunt, quibus mens nostra ex cognita

veritate, ex conscientia recti et ex filiali charitate, seu ex intima conjunctione nostra cum bono infinito perfunditur.

2. Hae sensiones, prout hominem prae reliquis insigniunt, ita etiam perfectionem nostram moralem egregie promovere solent. Unde easdem etiam singulari studio excolere et fovere decet, praesertim quia absque justo cultu facile elanguescunt, vel per tumultum sensuum inferiorum penitus suffocantur. Hinc multum doleri debet, nostra aetate iis affectionibus, quae a veritate, a virtute atque a religione proveniunt, fere neglectis, plurimos nonnisi sensum aestheticum perficere.

3. Attamen neque istae sensiones periculo vacant, nisi prudenti sui abnegationis studio rationi subjiciantur; ex semet ipsis enim caecae sunt, et proinde ubi ductum rationis aspernantur, facillime deviant. Sensiones *intellectuales* in vesanam quidvis sciendi libidinem, *morales* in scrupulosas anxietates, *sympatheticae* in indignam cordis mollitiem, et *religiosae* in spurium mysticismum degenerare possunt.

4. Quam ob rem etiamsi hae sensiones praeclarae sint, nunquam tamen finis ultimus sunto, in quem conatus nostri desinant. Non terminum, sed vehicula constituunt, quibus ad optatam patriam provehamur. Imo etiam qua *media* sunt quidem valde efficaces, non tamen prorsus necessariae. Potius ubi conatus noster perdurat, virtuti nostrae meritum eo majus obtinget, quo magis in illa exercenda omni suavitatis sensu destituti fuerimus. Quapropter ita ad propositum aeternitatis bravium contendamus, ut *a)* ubi hujusmodi gratae affectiones desunt, viam nostram inter quascunque tenebras impigre prosequamur; atque ut *b)* dum tales deliciae affluunt, mens nostra sobria semper et humilis persistat. Absit, ut exinde vel nobismet ipsis inaniter placeamus, vel ut eas qua demum cunque ratione in

pabulum egoismi convertamus. Paucis, in primo casu patientia, in altero autem continentia nobis est necessaria; neque oblivisci decet, quod monet Apostolus: *„Aemulamini autem charismata meliora.“* I. Cor. 12, 30. *„Sectamini charitatem, aemulamini spiritualia.“* Ib. 14, 1.

Caput III.

Officia quoad bona vitae et corporis.

A.

§. 276.

Principia generalia.

1. Ut officia, quae vitam terrenam concernunt, rite designari queant, quaedam praevie principia statuere expedit; quorum primum est: *„Vita praesens aliud non est, quam stadium ad aeternitatem, seu tempus praeambulum, ex quo sors imminentis aeternitatis pendet.“* Etenim jam ipsa ratio insuperabiliter fateri cogitur, justum esse, ut boni praemio, improbi vero condigna poena afficiantur; atqui haec retributio in hac vita desideratur; ergo datur adhuc vita altera. Cumque justa omnium retributio post mortem nobis immineat, vita, quam nunc degimus, aliud vocari nequit, nisi tempus probationis ac praeparationis ad existentiam futuram. Porro cum mens nostra ad *bonum infinitum* facta sit, haec ipsa destinatio etiam animi immortalitatem seu *existentiam semper duraturam* involvit. Attamen omne circa hanc propositionem dubium per divinam revelationem dispellitur. Prout novum Test. mentis immortalitatem atque retributionem nunquam finiendam astruit, ita etiam vitam praesentem ceu stadium, vel ceu praevium cursum exhibet, ex quo sors totius aeternitatis dependeat. Juxta ipsius tenorem *„non habemus hic ma-*

nentem civitatem, sed futuram inquirimus,“ Hebr. 13, 14.; unde quamdiu in hoc mortali corpore sumus, *peregrinamur a Domino,* II. Cor. 5, 6.; atque ubi cursum nostrum feliciter consummaverimus, corona justitiae nobis reposita est, quam reddet nobis Dominus in illa die justus judex, II. Tim. 4, 6. etc.; „*omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.*“ II. Cor. 5, 10. Pari modo vita praesens tempus seminandi, aeternitas vero locus messis dicitur: „*Quae enim seminaverit homo, haec et metet.*“ Gal. 6, 8.

2. Alterum principium dictat: „*Solius DEI est de hoc stadio nos avocare; seu tamdiu in statione hac terrestri persistere jubemur, donec DEUS ipse egressum nostrum disponat.*“ Proinde nullum nobis in vitam nostram jus competit, sed toti quanti ex divina dispositione pendemus. „*Nemo nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus.*“ Rom. 14, 7. etc. Scilicet prout existentiam nostram a DEO et propter DEUM accepimus; ita etiam eandem tamdiu conservare tenemur, quamdiu DEO ipsi placuerit.

3. Ex his duobus principiis summi momenti corollaria fluunt.

a) Vita haec terrena in aeternitatem desinit, seu vivimus, ut nos praeparemus ad existentiam sempiternam. Quantum igitur est praesentis temporis momentum, cum tota inde aeternitas pendeat! Et talis quidem aeternitas, quae pro unoquoque nostrum vel infinite beata, vel infinite misera erit. Mens nostra jam ad ipsum aeternitatis nomen cohorrescit, utpote quae post evolutas quotcunque annorum myriades semper immi-

nuta manet. Quid demum erit per omnem aeternitatem cum DEO intime conjungi, atque ex ejusdem fruitione infinite beatum esse; vel e contrario a DEO reprobari et bono infinito destitui? Quis nobis sufficienter explicabit vim illius effati: „*Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi?*“ Et vicissim: „*Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Et ibunt hi in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam?*“ Matth. 25, 34. etc. Profecto si mortales veritates hasce interdum animo meditabundo revolverent, fieri vix posset, ut perversi vitiis suis adhuc inhaererent, vel ut probiores negotium salutis aeternae tanto cum torpore agerent. Unde et Apostolus, postquam relationem vitae praesentis ad futuram exposuit, infert: „*Bonum facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.*“ Gal. 6, 9. etc.

b) Alterum corollarium est: Nobis nullum in vitam nostram jus, sed nonnisi ejusdem usus conceditur; ut scilicet, quia toti quanti propter DEUM existimus, sanctissima ipsius consilia tamdiu exequamur, donec ipse de stadio nostro nos avocaverit. Quapropter nulla nobis circa vitam nostram arbitraria dispositio relinquitur; sed quamdiu DEO placuerit, eandem justis mediis servare tenemur; ubi vero DEUS illam a nobis repetit, promto submissoque animo eidem offerri debet. Et hanc quidem DEI dispositionem vel *per naturam* experimur, dum nempe corpus senio, morbo vel quocunque rerum eventu dissolvitur, vel per *conscientiam*, quoties vitae conservatio officiis altioribus adversatur.

§. 277.

Dignitas humani corporis.

1. Cum corpus nostrum necessariam vivendi ac proinde exequendorum officiorum conditionem constituat, eadem fere, quae modo de vita dixi, etiam corpus afficiunt. Scilicet etiam in corpus nostrum nullum nobis dominium competit, sed una cum omnibus suis organis ex dispositione DEI pendet *). Insuper corpus non tantum domus et instrumentum inhabitantis spiritus, sed est etiam *pars nostri.* Eo ipso homines sumus, quod animo simul et corpore constamus. Quare quisquis corpus nostrum violat, revera nos ipsos seu *personam nostram laedit.*

2. Ast multo magis corpus hominis per divinam revelationem nobilitatur. Haec enim inprimis corpus nostrum exhibet tamquam membrum Christi et templum Spiritus sancti. „*Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a DEO, et non estis vestri? Emti enim estis pretio magno. Glorificate et portate DEUM in corpore vestro.*“ I. Cor. 6, 15. etc. Et jam antea Apostolus ita Corinthios interpellaverat: „*Nescitis, quia templum DEI estis, et Spiritus DEI habitat in vobis? Siquis autem templum DEI violaverit, disperdet illum DEUS. Templum enim DEI sanctum est, quod estis vos.*“ I. Cor. 3, 16. etc. Praeterea divina revelatio corporis resurrectionem spondet, illudque ceu granum vel stamen exhibet, quod nunc quidem terrae commendatur, die autem judicii denuo restaurabitur. Hunc in finem Christus „*reformabit corpus hu-*

*) Scilicet in *relatione ad DEUM. Quantum ad alios* vero utique in corpus et personam nostram jura nobis competunt.

militatis nostrae, . . . configuratum corpori claritatis suae, secundum operationem, qua etiam possit subjicere sibi omnia.“ Philipp. 3, 21. etc. Praesertim huc spectant, quae Apostolus ad Corinthios disserit, et hisce demum concludit: *„Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus?“* I. Cor. 15, 42. etc. etc.

Ex eadem ratione etiam summa reverentia erga corpora Sanctorum afficimur, utpote quae aliquando gloriosissime resuscitanda et de coelesti beatitudine participatura credimus. Generatim dogma de resurrectione mortuorum cum reliqua salutis oeconomia indivulse cohaeret. Cum enim Christus *totum hominem* redemerit, mors utique etiam *hanc praedam* seu corpus restituere debebit, prout Apostolus ad Oseam 13, 14. provocat.

3. Atque sic corpus, quod aggravat animam, equidem castigare et in servitutem redigere jubemur, I. Cor. 9, 27., *„et in hoc ingemiscimus habitationem nostram, quae de coelo est, superindui cupientes,“* II. Cor. 5, 2.; attamen hoc idem corpus juxta doctrinam religionis nostrae summam sibi venerationem vindicat, utpote quod non tantum artificiosissime constructum, pars nostri, atque in jure DEI existit, sed insuper in regno gratiae ad tantam dignitatem evectum fuit, et in regno gloriae coelestis beatitudinis particeps erit. *„Siquis autem templum DEI violaverit, disperdet illum DEUS. Templum enim DEI sanctum est, quod estis vos.“* I. Cor. 3, 16. etc.

§. 278.

Crimen autochiriae.

1. Principiis de vita et corpore stabilitis praecipue autochiria, seu voluntaria sui ipsius caedes adversatur.

Dantur vero plures ejusdem species; nempe quoad *intentionem* directa vel indirecta; *quoad modum* vero crassa vel subtilior dicitur.

2. Itaque crimen directae autochiriae committitur, siquis mortem suam per certas actiones omissionesve intendit. Et siquidem hunc in finem media violenta, seu quae mortem celerem afferant, adhibentur, autochiria *crassa* vocatur; *subtilior* vero, siquis successive seu lente vitam suam extinguit; id quod praesertim in illis evenire solet, qui indirecte vitam sibi decurtant, dum e. g. libidini, vel cuicunque alteri vitio indulgent, quo vires corporis praemature exhauriuntur.

3. Ast quo demum cunque medio haec sui caedes perficiatur, is, qui talem culpam contrahit, non tantum pietati sibimet ipsi debitae, sed etiam reliquis suis officiis deest, cum utique vita nostra officiorum omnium necessaria conditio sit. Prae ceteris tamen autochiria directa et simul crassa summam atrocitatem prae se fert. Etenim

a) in relatione ad DEUM talis sui interfectio semper maximam injuriam et quoddam genus perduellionis constituit. Nobis enim nullum in vitam nostram jus competit, sed jus istud penes solum DEUM est. Quisquis ergo directe et proprio arbitratu semet occidit, in re gravissima jus sibi divinum usurpat, DEO ulteriorem obedientiam denegat, et quantum in se est, ipsius benignissima consilia frustrare nititur. *Nolo diutius vivere* idem est, ac *nolo diutius divinam voluntatem exequi*. Quare jam ipsa ratio autochiriam *directam*, tum crassam tum subtiliorem absolute prohibet, ita ut in casu prorsus nullo licitum sit semet ipsum directe enecare, seu mortem suam intendere; scilicet vita nostra nunquam ex propria nostra dispositione, sed nonnisi ex voluntate divina pendet.

b) Similiter qui tantum crimen perpetrat, immanem saevitiem erga semet ipsum exercet. Cum enim DEUS T. O. consilio vere paterno vitam nostram ideo nobis concesserit, ut nos ad impendentem aeternitatem magis magisque praeparemus; quantum scelus admittit, qui stadium istud proprio motu perrumpit, atque tempus ad satisfaciendum et ad comparanda merita concessum sibimet eripit! Et quis non cohorrescit recogitando, qua mentis dispositione talis aeternitatem ingrediatur, ita ut transitus ipse atrocissimum scelus constituat?

c) Denique autochiria plerumque etiam officia aliis exhibenda evertit, dum impius sui interfector quibuscunque humanitatis obsequiis semet voluntarie subducit, et suis maxime, vel etiam creditoribus gravissima non raro detrimenta infert.

4. Haec autochiriae perversitas non minus per divinam revelationem confirmatur. Fuerunt equidem, qui revelationem ex hoc ipso capite criminarentur, quod nempe nullibi sui ipsius caedem prohibeat. Ast per hanc assertionem nonnisi suam vel inscitiam vel improbitatem ostendunt. Ut enim sciamus, quid revelatio jubeat prohibeatve, praeter sacram Scripturam etiam divina traditio consulenda venit, et in ipsa sacra Scriptura non tantum litera, sed etiam ejusdem spiritus attendi debet. Jam vero si de divina traditione quaeritur, scimus utique, autochiriam ab Ecclesia nunquam non reprobatam fuisse, ita ut ex omnibus Ss. Patribus ne unus quidem illam excusandam vel omnino commendandam existimaverit. Quod vero sacram Scripturam attinet, etiam haec, praesertim in novo Test. diserte enuntiat, DEUM solum vitae necisque dominum esse, ut adeo nobis in vitam nostram nullum jus competat. „*Sive ergo vivimus sive morimur, Domini sumus.*“ Rom. 14, 8. Hinc quoque Apo-

stoli identidem ad invictam inter omnes adversitates patientiam hortantur, monentque, ut, dum tempus habemus, bonum operemur, Gal. 6. 8., „*exspectantes beatam spem et adventum gloriae magni DEI, et Salvatoris nostri JESU Christi.*“ Tit. 2, 13.

5. Quis ergo non doleat, tragicum istud spectaculum in urbibus praesertim celebrioribus, ubi major luxus et effusa morum licentia est, nostris temporibus adeo crebrescere, ut alicubi vix non omnem fidem superet? Quapropter ipsae temporis nostri rationes petunt, ut nonnihil accuratius in causas autochiriae inquiramus.

§. 279.

De causis autochiriae.

1. Dum de *autochiria voluntaria* tractamus, miseros illos haud comprehendimus, qui phrenesi vel furore acti, adeoque per omnimodam mentis absentiam in semet ipsos desaeviunt. Intercepto statu morali omnis quoque imputatio intercipitur, nisi actus, qui ita eduntur, fors *mediate* vel in causa liberi exstiterint. Attamen recentiores quidam nimii sunt, dum propugnant, omnem autochiriam ex organorum turbatione mentisque absentia proficisci, eoquod nemo sui compos facinus tam horrendum patrare possit. Cui assertioni experientia nimis funesta repugnat; quot enim novimus, qui necem sibi inferendam jam diu ante praemeditati, et in ipso exsecutionis momento adeo sui compotes erant, ut hoc suum consilium literis consignarent, testamentum conderent etc.!

2. Causae *autochiriae voluntariae* interdum ex erroneis conceptibus, ast multo frequentius ex perversa voluntate repeti debent, quae deinde animi perversitas ipsum intellectum offuscare et suas in partes pertrahere consuevit.

Inprimis igitur fieri potest, ut quis ex *erroneis conceptibus* in semet ipsum desaeviat. Taceo opiniones superstitiosas, quae aliquando inter gentiles fovebantur, quasque ex parte saltem inter gentes, quibus fides christiana nondum illuxit, adhucdum invenire est. Neque deliramenta quorundam mysticorum commemorare juvat, qui, quo citius coelestem patriam ingredi liceret, terminos mortalitatis perrumpendos existimarunt. Quousque enim exaestuans phantasia ejusmodi fascinatos non abripit? Verum etiam inter cultores verae fidei hinc inde contigit, ut aliqui per *erroneam conscientiam* in magno officiorum conflictu, cum e. g. intentatum stuprum nullo alio medio declinare possent, autochiriam praeferendam arbitrarentur. In hisce igitur casibus leges humanitatis jubent, ut factum ab agentis persuasione probe secernentes ab omni judicii temeritate abstineamus. Non incongrue huc quoque verba Salviani adhibemus: „*Qualiter pro hoc ipso falsae opinionis errore in die judicii puniendi sint, nullus potest scire, nisi judex.*"

Et quidem qui ad servandam periclitantem virtutem tale quid fecisse leguntur, etiamsi erraverint, absque dubio tamen firmiter sibi persuasi videbantur, se nonnisi voluntatem divinam exequi. Insuper dum vel in sacris literis, vel in historia ecclesiastica interdum hujus generis exempla referuntur, Ss. Patres in quibusdam saltem specialem DEI impulsum astruunt, e. g. de S. Apollonia.

3. Sed multo saepius haec erga semet ipsum saevities ex animo depravato oritur, praesertim ubi ex vitiorum frequentatione sensus religionis extinctus jacet, vel fides ipsa evanuit. Dum enim praeter reliqua fidei dogmata immortalitas animae, fors ipsa existentia DEI in dubium vocatur, quid de ejusmodi hominibus timeri non debet, ubi vel in magnas angustias conjiciuntur, vel passionibus suis, qui-

bus se totos manciparunt, jam non amplius indulgere possunt? Prae reliquis turpes amores, ambitio, avaritia et immoderati lusus homines in barathrum horrendum adeo praecipitare solent.

§. 280.

Continuatio.

1. Ex his facile ominari licet, quae sint *causae remotiores* hujus criminis. Scilicet quidquid facit, ut vel phantasia nimis effervescat, vel ut intellectus de DEO, de mentis immortalitate atque de relatione praesentis vitae ad futuram falsis opinionibus imbuatur, vel quidquid demum voluntatem vehementer ad vitia pellicit, remote, imo hinc inde prope admodum ad autochiriam confert. Haec inter illicia locum absque dubio principem obtinent libri romanenses et ludi scenici, in quibus tum phantasia et intellectus, tum vel maxime voluntas indigne emolliuntur, atque ignes vix iterum extinguendos concipiunt; praesertim ubi deliberata sui interemtio tamquam actus fere heroïcus et fortitudinis exemplar proponitur.

2. Generatim veritati aeque ac virtuti adversantur, qui immani semet occidendi consilio insignem animi fortitudinem subesse autumant, etiamsi revera in hoc ipso consilio summa vecordia lateat. Nam fortitudo homine cordato digna ea tantum est, quae inter omnes temporum acerbitates fortunaeque vicissitudines invicta perstat. Qui vero, ne ingruentes calamitates sustineant, iisdem per autochiriam se subtrahunt, quis tales fortes, et non potius imbelles et ignavos existimabit, utpote qui nonnisi ideo se trucidant, quia ad perferenda mala impendentia sat animi non habent? Vel quis militem fortem dicet, qui ad hostiles incursus statione sua decedit, praesertim ubi de victoria certus esse potest, siquidem vires suas rite intenderit? I. Cor. 10, 13.

„*Ast, reponet aliquis, cum stimulus vivendi prae cunctis reliquis vehemens sit, cur non illum fortissimum nuncupabimus, qui, dum hunc stimulum superat, quodammodo victor totius naturae existit?*“ Verum ubi res nostrae prospere aguntur, concedo equidem, hunc vitae propriae conservandae stimulum prae reliquis vehementem esse. Ast res est multum diversa, ubi magnis calamitatibus jactamur; tum enim vita ipsa nobis amarescit, et ejusdem amori taedium succedit, adeo ut mors nobis dulcis et optatissima videatur. Qui ergo ad declinandas temporum acerbitates semet enecant, nonnisi sensui acerbiori cedunt, et hoc ipso mentis suae imbecillitatem testantur. Rectissime poëta inquit:

„*Rebus in angustis facile est contemnere vitam;*
„*Fortiter ille facit, qui miser esse potest.*“

Vel ut Cicero asseverat: „Fortis animi et constantis est, non perturbari in rebus asperis, nec tumultuantem de gradu dejici, sed praesenti animo uti et consilio, nec a ratione discedere.“ Off. l. 1. c. 23.

Quaeri potest, num etiam *desiderium* moriendi improbari debeat? Et quidem Paulus ipse professus est: „*Desiderium habeo dissolvi, et esse cum Christo.*“ Philipp. 1, 23. Idem votum hominibus graviter afflictis haud infrequens est. Ast tota praesentis quaestionis solutio ex eo pendet, ex *quo motivo* desiderium istud descendat, et *qua ratione* foveatur. Unde idem desiderium aliquando peccaminosum, aliquando licitum, aliquando etiam generosum esse potest. *Peccaminosum* erit, si vel ex indigno motivo nascitur, dum e. g. avarus aut ambitiosus etc. ob spes suas frustratas taedium vitae concipit; vel siquis ex hoc ipso vivendi taedio justa sui conservationis media omittit. E contrario hoc moriendi desiderium *licitum* censeri debet, siquis dolores ac angores suos equidem morte propinqua finiri optat, ita tamen ut mens se totam divinae voluntati resignet, nec quidquam eorum detrectet, quae ad sua officia spectant. Denique tale moriendi desiderium *generosum* dico, si non tantum cum plena erga DEUM resignatione, et perdurante officiorum studio jungitur, sed etiam ex motivo vere generoso descen-

dit, e. g. ut DEO plene perfrui possimus, vel ut ex tantis eruamur peccandi periculis etc. Hinc quis non miratur Apostolum, dum secum quasi deliberans ait: *„Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. Quodsi vivere in carne, hic mihi fructus operis est, et quid eligam, ignoro. Coarctor autem e duobus: Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius; permanere autem in carne necessarium propter vos.“* Philipp. 1, 21. etc.

§. 281.

Remedia contra autochiriam.

1. Causis autochiriae designatis facile perspicitur, quibus mediis eidem obviare oporteat. Remedium universale et efficacissimum est ipsa religio nostra; quippe quae solide excepta atque in mentem demissa inprimis nos instruit, quae sit nostra destinatio, quae illam consequendi via, et qualis inter vitam praesentem aeternitatemque relatio detur; et simul haec eadem religio continuam naturae propriae abnegationem urget; unde a vitiis, in quae natura corrupta tanto impetu fertur, nos vel praeservat, vel si pro ingenti fragilitate nostra forsan lapsi sumus, nos denuo erigit, infausta peccatorum consectaria poenitenti animo subire jubet, atque in quibuscunque rerum angustiis inexhaustum solatii gratiarumque fontem reserat. Profecto finge, totum terrarum orbem de religione Christi firmiter persuasum, in ea sufficienter instructum illique sincere addictum esse, et omnis simul autochiria disparuit.

2. Quia tamen in praesenti rerum humanarum conditione plurimi religionem vel dedignantur, vel nonnisi oretenus colunt, ad publicam auctoritatem spectat, ut causas singulares, quas memoravi, pro viribus removere conetur. Hinc sollicite caveatur, ne libri divulgentur, qui ad tantum facinus disponunt, ne luxus et luxuria ingravescant, ne instituantur nimii lusus etc. etc.

3. Quod demum miseros illos attinet, qui intercepto usu rationis phrenetico furore aguntur, utique aliorum est, ut etiam in his humanam dignitatem suspicientes eorundem in se tutelam suscipiant.

§. 282.

De non pessumdanda sanitate et integritate corporis.

1. Quae modo de non perimenda vita dixi, etiam de sanitate et corporis integritate valent. Etiam in hanc nullum nobis jus competit, et proinde omnis arbitraria destructio prohibetur. Quia tamen singula membra proxime propter *totum corpus* existunt, omnino unum alterumve amputare licet, siquidem talis amputatio ad conservationem totius corporis necessaria videatur, dum e. g. membrum aliquod gangraena infectum est. Ast ex alia ratione, e. g. studio virtutis semet ipsum membro aliquo mutilare, vel facultatem nobis congenitam extinguere certe improbum est. Etenim talis erga semet ipsum saevitia nunquam *necessaria* dici potest, quia peccatum non in physicis organis, sed in *libera voluntate* residet, et consequenter, ne quis in peccatum consentiat, non corpus mutilare, sed mentem suam contra quascunque illecebras obfirmare decet. Et sane quamvis tentationes vehementissimas experiamur, nostra tamen religio efficacissima illas debellandi subsidia nobis offert, quae si rite adhibeamus, inter omnes procellas invicti stabimus; ubi vero haec media negliguntur, morosae delectationes ac prava desideria etiam exsecto corpore non deerunt. Paucis, talis mutilatio ex divina dispositione ad servandam virtutem non est comparata; ergo admitti non potest. Unde prout Ecclesia factum Origenis semet ipsum exsecantis vehementer improbavit, ita etiam sacros textus, quibus nonnulli abusi erant, neutiquam juxta sonum litera-

lem exponendos duxit; e. g. Matth. 5, 29. „*Si oculus tuus scandalizat te, erue eum etc.*“ Vel ibidem 19, 12. „*Sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum coelorum.*“

Simul ab experientia constat, per talem injuriam animum ipsum effeminari, atque totam indolem hominis non parum corrumpi. Imo natura ipsa conspectum talium quodammodo horrere solet. Exinde etiam Ecclesia eunuchos irregulares declarat.

2. Si vero mutilatio neque ex motivo virtutis conceditur, multo minus ad comparanda bona inferioris ordinis approbari potest, e. g. ad servandam vocis gracilitatem, vel dum nativa corporis constructio solius vanitatis causa ad formam sanitati repugnantem coarctatur. Sed omnium maxime culpandi veniunt, qui ideo talem saevitiem exercent, ut ab officiis sibi imminentibus solvantur, e. g. ne adscribantur militiae, vel ut mutilato corpore eo largiorem stipem accipiant etc.

§. 283.

Indirecta sui destructio.

1. Verum praeter directam vitae sospitatisque destructionem etiam omnis indirecta laesio absit. Hujus indirectae laesionis reatum contrahunt, qui absque urgente ratione vitam et physicam integritatem periculis objectant, vel talem vivendi rationem tenent, ut mortem voluntarie sibi accelerent. Huc igitur inprimis temerarii ausus, stolida periculorum aditio, artes capitales aliaeque occupationes referri debent, quae vel ex petulantia, vel ex vana sui ostentatione, vel etiam ex indigno quaestu procedunt. Generatim vero omne vitium, cui quis indulgere pergit, praeter alios pessimos effectus etiam corporis vigorem et incolumitatem subvertere consuevit, dum ei vel necessaria fo-

menta subtrahuntur, e. g. per avaritiam; vel dum illud praemature exsuccum et languens redditur. Scilicet „*qui delinquit in conspectu ejus, qui fecit eum, incidet in manus medici.*“ Eccli. 38, 15. Prae reliquis teste experientia vinolentia atque luxuria ipsas quasi radices et prima vitae stamina venenare solent. Exinde enim corporis, maxime juvenilis robur omne pessumdari, nervorum vigor et ipsa ossium medulla exhauriri, atque ut de nefanda lue, quae frequenter contrahitur, taceam, vita lenta morte tabescere consuevit. Imo complures ex his vitiis ad directam atque celerem autochiriam devolvuntur, vel certe in periculis occumbunt, quibus semet ipsi objecerunt.

2. Quod pessimum, animi praesertim juveniles temerariis saepe praejudiciis detinentur, dum repudiato aliorum consilio inanem spem fovent, vel se ex improba vita sua nihil detrimenti passuros, vel etiamsi aliquid funesti accidat, se tamen de laesa sospitate nullum reatum contracturos esse, eoquod non aliis, sed *sibi dumtaxat* noceant. Verum quod homines etiam robustissimi per temerarios ausus et improvidam agendi rationem sibi nocere possint, utique ab experientia constat; quod vero *sibi* dumtaxat noceant, neque verum est, neque excusationem praebet. Etenim praeterquam quod, ubi casus infaustus accidit, aliis jam non amplius pro officio prodesse queant, quanta etiam detrimenta exinde in alios redundare solent! Ast sit etiam, quod totum infortunium nonnisi in eorum caput revertatur; numquid in vitam et salutem propriam jus ipsis competit, ut illam pro libitu prodigere vel labefactare impune possint?

3. Quod ipsam praxin concernit, quantum ad indirectam sui laesionem datur quidem parvitas materiae, et praeter actus ipsos etiam subjectiva agentis persuasio attendi debet; attamen res isthaec generatim aestimationem

sat maturam expetit, prout ex iis liquet, quae §. 276. et seq. de dignitate tum ipsius vitae tum corporis attuli.

§. 284.

Cura et amor vitae.

1. Rem pretiosam adeo, qualis est vita et ejusdem sospitas, non solum ab omni laesione tueri, sed etiam justis mediis conservare tenemur. Eph. 5, 29. Id quod jam ipsa natura urget, cui benignissimus Creator vehementem semet conservandi stimulum indidit. Attamen homine indignum foret, more pecudum solo instinctu agi, vel omnino ideo dumtaxat vitae curam gerere, ut eo diutius terrenis voluptatibus frui liceat. Dum ergo hunc stimulum sequimur, cavendum saltem est, ne rationes altiores excludantur; simulque eo nos eluctari oportet, ut vitam ex eadem ratione conservare studeamus, ob quam nobis concessa fuit, nempe ut paterna DEI consilia exequentes, felicis aeternitatis digni efficiamur.

2. Ut vero huic nos conservandi officio satisfaciamus, requiritur, ut praeter communes naturae indigentias sciamus etiam, quaenam *nobis singulariter* utilia, quae vero noxia esse consueverint, pro diversitate scilicet physicae constitutionis nostrae, nec non pro diversitate climatis, temporis etc.

3. Attamen unusquisque sibi caveat, ne ex hac parte anxius et scrupulosus sit. Innumerae et periculosissimae simul circa hoc officium deceptiones atque illusiones phantasiae dantur, dum homines delicatuli et meticulosi identidem vitae ac sanitati suae timent, vel ob aestuantem phantasiam se quam gravissime aegrotare arbitrantur. Qui hoc modo delirant, non tantum inordinatum vitae amorem ostendunt, et per meram timiditatem gravissimis non raro officiis desunt, sed etiam ex hac ipsa mentis inopia facil-

lime sternuntur, halitumque contagiosum prae reliquis excipiunt. Praesertim haec ridicula anxietas sacerdotem dedecet.

§. 285.

Restrictio hujus officii.

1. Non aliter ac reliqua bona, etiam vita nostra *donum DEI* est, ad id nobis concessum, ut propter DEUM atque ad exequendam ejusdem voluntatem impendatur. „*Sive enim vivimus, Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur.*“ Rom. 14, 8. Idem de sanitate obtinet. Hinc in nullo equidem casu mortem nostram directe intendere permittimur; officium vero vitam positive servandi declinandique pericula, quae eidem infesta sunt, nonnisi hypotheticum dici potest. Cum enim *propter DEUM* vivamus, haec nostri conservandi cura cessare debet, quoties cum officio absoluto, vel etiam altioris tantum ordinis colliditur. Hinc egregius Apostolus cum vincula et tribulationes sibi repraesentaret, quae ipsum Jerosolymis manebant, adjecit: „*Sed nihil horum vereor; nec facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consummem cursum meum, et ministerium verbi, quod accepi a Domino JESU, testificari Evangelium gratiae DEI.*“ Act. 20, 24.

2. Inprimis igitur curam sanitatis et ipsius vitae dimittere jubemur, quoties cum *officio absoluto* colliditur, id quod ulteriori demonstratione haud indiget. Quodsi cura isthaec cum *officiis nonnisi hypotheticis* pugnare videatur, dispiciendum erit, ex qua parte plures gravioresque rationes, seu tituli debendi urgeant. Atque sic fieri potest, ut opera cum vitae sanitatisve periculo conjuncta aliquando praecepta, aliquando de bono meliori, aliquando autem prohibita censeri debeant. Praecipuam attentionem officia *status vel muneris* nostri exposcunt. Unde etiamsi mortem suam nunquam directe intendere liceat, milites tamen non

raro certae vel sat probabili morti semet objicere tenentur, insigne a DEO praemium reportaturi, si ex sincero studio justitiae id fecerint. „*Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*“ Joann. 15, 13. Etiam in munere pastorali tale quid hinc inde exigitur, dum nempe hominibus contagiosa lue infectis Sacramenta ministrare et assistere jubemur. In ejusmodi casibus pius animarum pastor equidem justas cautelas adhibebit, quibus periculum contagionis evitari solet; ast intrepidus, et DEO firmissime innixus nihil eorum omittet, quae ad curam muneris pastoralis spectant, memor illius, quod princeps pastorum de semet ipso professus est: „*Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus.*“ *) Joann. 10, 11. etc. Et sane re juste considerata sors illorum, qui taliter occumbunt, non lugenda, sed potius invidenda videtur. Quid enim gloriosius DEOque acceptius cogitari potest, quam si nobis conceditur, ut ad exemplum ipsius Redemtoris virtutis potius, quam naturae debitum solventes tamquam victima charitatis moriamur?

*) Haec ipsa mentis fiducia, quae pulsa omni meticulositate DEO firmissime inhaeret, etiam periculum contagionis prae omnibus remediis maxime arcere consuevit. Hinc a primis curae pastoralis annis firmum nobis fixumque esto, ut, quocunque officium nostrum nos vocaverit, impigre fidentique animo sequamur. Etiam capilli capitis nostri omnes numerati sunt apud DEUM. Et scimus utique, „*quoniam diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum.*“ Nec non et illud hic repetendum venit: „*Qui amat animam suam, perdet eam; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam.*“ Joann. 12, 25.

§. 286.

Officia tempore infirmitatis.

1. Ubi sanitas nostra quo demum cunque modo turbata fuit, ea omnia obtinent, quae §. 266. et seq. de patientia diximus. Et inprimis quidem, siquidem solida recuperandae salutis spes supersit, contractam infirmitatem justis adaptatisque remediis depellere jubemur. Ipse divinus sermo praecipit: *„Honora medicum propter necessitatem; etenim illum creavit Altissimus. Altissimus creavit de terra medicamenta, et vir prudens non abhorrebit illa etc.“* Eccli. 36, 1. etc. Quare ubi malum, quo laboramus, per media simpliciora et in vulgus nota sanari nequit, ex arte vero medicorum felix effectus sperari potest, absque dubio ad nostra officia pertinet, ut mature peritum medicum adhibeamus, cui deinde omnes infirmitatis tum causas tum circumstantias candide fateri, et cujus praescriptis morem gerere jubemur.

2. Huic officio aperte desunt, qui, etiamsi morbus artem medicam requirere videatur, nihilominus lentam moram trahunt, qua malum ingravescit, vel omnino insanabile redditur. Id quod interdum ex turpi avaritia accidit, vel etiam ex palato nimis delicato, quo medicamina abhorrentur. Non minus perverse agunt, qui, etiamsi medicus peritus ac legitimus haberi possit, hoc tamen neglecto homines circumforaneos et imperitos adhibent.

Praecipue ab illis sollicite cavendum est, qui se medicos fingentes ex alio in alium locum cursitant, et aliam artem plerumque haud callent, quam plebem credulam insigniter decipiendi. Hos inter perversissimi non raro nebulones inveniuntur, qui pro multo aere media superstitiosa vendunt, vel omnino hominum simplicium integritati et pudicitiae insidiantur. Hinc summopere dolendum est, homines rudes et agrestes plerumque erga ejusmodi pseudomedicos fiducia

multo majori trahi, quam erga medicos peritos atque legitimos. Scilicet tales admodum eloquentes esse solent, atque magno hiatu quibuslibet morbis praesens auxilium promittunt; cumque hinc inde res casu feliciter succedat, rudis plebecula facile sibi persuadet, ab his remedia non tantum minus cara, sed etiam certiora obtineri posse.

3. Sed etiam illi redarguendi sunt, qui medico vocato vel prae inepta verecundia causas et circumstantias morbi, quas illum probe scire omnino necesse est, reticent, vel obedire detrectant, dum praescriptas medicinas et regulas diaeteticas aspernantur, vel clam medico quaevis alia adhibent, quibus effectus frustratur. Et tales quidem non tantum sibi, sed etiam medico plurimum nocere possunt, quando infelix rerum eventus fors ejusdem imperitiae tribuitur, et ipsius fiducia exinde vapulat.

Ast vero etiam medici sibi caveant, tum ne citra casum necessitatis pudorem naturalem laedant, tum vero ne arcanis suae fidei concreditis qua demum cunque ratione abutantur.

4. Attamen generatim, et nisi rationes speciales obversentur, nemo ad talia remedia obligari potest, quae sive aegrotanti, sive aliis *molestiam extraordinariam* facessunt; dum e. g. medicamenta vel ipsius medici arcessitus pretio nimis caro constat, et nonnisi cum magno totius rei familiaris dispendio haberi possunt. Etenim prout in statu sano ex gravi ratione vitam nostram recte periculis exponimus; ita etiam, dum aegrotamus, ad ea tantum obligamur, quae sunt ordinaria, et quae in ejusmodi circumstantiis communiter adhiberi solent. Ipsa salus publica haud permittit, ut pro conservandis singulis prorsus omnia impendantur, quae absolute haberi possunt, utcunque cara et molesta illa fuerint. Quodsi tamen rationes speciales occurrant, dum e. g. ex conservatione aegrotantis etiam sa-

lus aliorum dependet, utique etiam plura et difficiliora tentanda erunt, supposito nempe, quod exinde spes recuperandae sanitatis sat solida affulgeat.

5. Quare ubi de stricto medicum et medicamenta adhibendi *officio* quaeritur, haec praecipue momenta expendi debent: *a)* An prudenter exspectari possit, fore, ut natura absque interventu medici per convenientem diaetam, vel per remedia vulgaria convalescat; *b)* an ex medicamentorum usu salutem probabiliter saltem sperare liceat; et *c)* an non spectatis rerum personarumque adjunctis usus horum remediorum cum speciali et extraordinaria molestia conjungatur.

Quaeritur, utrum ille graviter peccet, qui, cum amputatio notabilioris membri necessaria videtur, illam prae horrore detrectat, atque lentam mortem praefert. Eadem quaestio de illis moveri potest, qui vel ob naturalem pudorem, vel ob nimiam naturae renitentiam operationes chirurgicas non admittunt, quae tamen ad conservandam vitam existimantur necessariae. Ad has quaestiones rite dissolvendas absque dubio *singulares circumstantiae* attendi debent, in quibus aegrotans versatur. Quodsi ergo omnibus spectatis revera molestiae extraordinariae occurrant, et praesertim ubi effectus talis operationis, ut fieri solet, *minus certus seu anceps* videtur, aegrotans ad illam vix obligari poterit. Si tamen, ut supra dixi, ex conservatione infirmi plurima dependeant, utique fieri potest, ut regula allata exceptionem admittat. Denique per se patet, tales, qui remedia difficiliora respuunt, juxta subjectivam suam persuasionem dijudicandos esse.

§. 287.

Continuatio.

1. Ast in depellendis aeque ac perferendis morbis ita nos versari decet, prout regulae *patientiae christianae* dictant. Unde sensus reluctantes, quantum fieri potest,

rationi et rationem ipsam DEO penitus subjicere oportet. Absit ergo, ut vel in adhibendis remediis vel in supportandis morbi molestiis atque doloribus solo sensu ducamur. Etiamsi planctus et lacrymae ex se non prohibeantur, haec tamen doloris indicia ita moderari jubemur, ut neque contra DEUM refractarii, neque aliis, praeterquam necesse fuerit, molesti simus. Potius unusquisque spatium per infirmitatem sibi concessum ita adhibere studeat, ut cessante negotiorum strepitu tum veritates aeternas tum suam, quam hucusque tenuit, vivendi rationem attentius ruminet, et per omnimodam sui abnegationem, atque per firma melioris vitae proposita benignissimis DEI consiliis sese morigerum praebeat.

2. Praesertim ubi vis morbi augetur, vel omnino vita in discrimen adducitur, res nostras omni modo componere satagamus; huc praecipue spectat, ut iis, quos nobis infensos novimus, sincere reconciliemur; ut pro viribus resarciamus damna et injurias aliis illatas; utque per prudentem de rebus nostris dispositionem, siquidem necesse vel certe consultum fuerit, nobis aeque ac nostris quam optime consulamus. Et quia Christus ipse indigentiis nostris tam benigne providit, ad praecipua hominis christiani officia pertinet, ut mature sanctissimis Sacramentis reficiatur, poenitentiae nempe, Eucharistiae et unctionis. Absque dubio vesanum foret haec sanctissima religionis mysteria ad extremum usque infirmitatis momentum differre, ubi, ut alia incommoda et pericula taceam, mens vixdum sibi constare solet. Insuper haec Sacramentorum perceptio etiam publicum fidei ac pietatis nostrae testimonium praebet, unde reliqui in religione plurimum confirmantur.

3. His praemissis jam cum Mediatore nostro JESU Christo intime conjuncti nos sine omni reservatione DEO impendamus. Prout in tremendo isto articulo dejici vel

desperare nefas foret, ita etiam omnis philosophica arrogantia vel ostentatio procul absit. Genuinus DEI cultor mortem equidem absque trepidatione opperitur; attamen fiduciam suam non *ex semet ipso*, sed nonnisi ex meritis Christi atque ex divinis promissis haurit, memor tum infirmitatis suae, tum vero illius, qui est spes nostra et salus: *„Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem JESUM Christum justum etc.*" I. Joann. 2, 1. etc.

Etiamsi christianum de instante morte haud trepidare oporteat, sensus tamen plerumque non ex nostro arbitrio pendet. Unde quantum ad eos, qui de imminenti morte contremiscunt, absit omnis judicii temeritas. Saepe equidem sub hoc nimio mortis horrore sensus terrenus vel conscientia multis sceleribus sauciata latet; ast interdum metus iste ex timida hominum indole, ex turbata phantasia, ex scrupulositate vel ex erroneis conceptibus descendit, ita ut in medio sensuum tumultu piissima mens deprehendatur. Illud denique mirum, quod in hominibus piis hic idem phantasiae sensuumque tumultus, ubi revera ad extrema deveniunt, plerumque penitus cessare soleat, adeo ut sedatis fluctibus mens jam plena tranquillitate fruatur; quae quidem experientia etiam in consideratione psychologica neutiquam contemni debet.

B.

OFFICIA SPECIALIA QUOAD VICTUM ET VESTITUM.

§. 288.

De justa corporis nutritione.

1. Hucusque de officio corpus et vitam conservandi generatim egimus; nunc vero ad indigentias atque stimulos singulares descendamus, quae prae reliquis attendi merentur. Et inprimis quidem haec est naturae nostrae conditio, ut ad vitam et vires servandas identidem *cibo potuque* in-

digeat *). Atque ut hisce indigentiis eo certius provideretur, sapientissimus Conditor vehementem stimulum nobis congenitum voluit, quo natura animalis tum ad percipienda nutrimenta impelli, tum ex eorundem perceptione suaviter recreari solet. Ast praeterquam quod hominem generatim dedeceat caeco naturae impetu agi, appetitus iste, prout omnes stimuli animales, vagus admodum et praeceps existit, adeoque, nisi continuo rationis imperio dirigatur, eo nos abripit, ut sanitas ipsa non tam foveri, quam potius everti consueverit. Scilicet bruta animantia naturali instinctu diriguntur, ut a nocivis abstineant; homines vero semet ipsos ratione dirigere jubentur.

2. Hoc ipsum rationis imperium dictat, ut nutrimenta ex honesto semper fine, et ita simul percipiamus, ut omnimoda officiorum exsecutio non impediatur, sed promoveatur potius. Primum itaque est, ne cibi potusque ex sola sensualitate sumantur, ita ut exclusis rationibus altioribus sola intendatur voluptas. Equidem hanc voluptatem admittere, imo exquisita ciborum praeparatione et additis condimentis provocare licet, ita tamen ut *ratio ultima* ex studio honestatis vel potius ex divino beneplacito repetatur. Concomitans voluptas nunquam finis ultimus, sed nonnisi aptum remedium esto, quo fines ordinis altioris promoveantur.

*) Idem de necessario somno obtinet, cujus imprudens defraudatio prae omni inedia vires nostras extenuare solet. E contrario qui somno nimium indulgent, corpore pariter ac animo elanguescunt, et de ipsa morum integritate multum periclitantur, praesertim qui in multam diem stertunt, vel quod pejus, semisopiti plumis inhaerent. Hinc juvenes praesertim omni modo urgeri debent, ut statuto tempore absque tergiversatione surgant, atque naturam generatim ad ordinem prudenter statutum restringere allaborent.

Doctrina ardua quidem, attamen verissima! Audiamus, qualiter ipse S. Augustinus de naturae corruptione, quam etiam in hac parte experimur, ingemiscat: „*Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumturus accedam. Sed dum ad quietem satietatis ex indigentiae molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiae; ipse enim transitus voluptas est; et non est alias, qua transeatur, quam qua transire cogit necessitas. Et cum salus sit causa edendi et bibendi, adjungit se tamquam pedissequa periculosa jucunditas, et plerumque praeire conatur, ut ejus causa fiat, quod salutis causa me facere vel dico vel volo.*“ Conf. l. 10. c. 31. Legantur quoque, quae de imit. Christi l. 3. c. 26. apprime huc faciunt.

3. Et prima quidem ac principalis ratio, quam DEUS sumendis alimentis designavit, est ipsa vitae viriumque nostrarum conservatio; nam hunc ipsum in finem benignissimus Creator tum refectionis stimulum, tum res ad refectionem aptas disposuit. Attamen haec ratio non est *unica;* sed frequenter, etiamsi vires nostrae ampliori restauratione haud indigeant, rationes tamen aliae suadent, vel jubent etiam, ut epulae largiores et lautiores instituantur; hujusmodi sunt e. g. innocua laetitia, charitas fraterna, bonum pacis etc. Utique refectio ex tali ratione descendens tum fini principali seu corporis saluti, tum aliis officiis nunquam adversari debet.

4. Insuper ratio per revelationem illustrata expetit, ut alimenta grato semper animo ceu divinae benignitatis dona percipiamus. „*Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite.*“ I. Cor. 10, 31. Hinc ad exemplum ipsius Redemtoris nostri Ecclesia semper instituit, ut ante et post refectionem corporis piae ad DEUM preces fundantur. Imo praeterquam quod per hanc pulcherrimam praxin DEUM omnium bonorum fon-

tem ac largitorem profiteamur, ipsa quoque comestio seu actus animalis quandam actionis religiosae dignitatem induit, atque coelesti quodammodo rore perfunditur: „*Omnis creatura DEI bona est, sanctificatur enim per verbum DEI et orationem.*" I. Tim. 4, 4.

Quid ergo de illis censendum erit, qui, ut se cultiores et supra plebem elatos ostendant, de hac ad mensam oratione erubescunt, gloriosum esse existimantes, si ethnicorum vel potius pecudum ritu pabulo suo vescantur?

§. 289.

Continuatio.

1. Non minus ratio per revelationem illustrata talem refectionis modum praescribit, ut omnimodae officiorum, quae nobis incumbunt, executioni non modo non officiat, sed etiam inserviat. Quare ab iis omnibus nobis temperare jubemur, quae vel saluti corporis, vel hominis dignitati, vel cuicunque altiori officio repugnant. Hunc in finem tum quantitas tum qualitas nutrimentorum attendi debet. Ast sub utraque ratione in diversis ingens diversitas datur; imo in eodem homine natura non iisdem semper indiget. Alia e. g. aetati juvenili, alia provectiori conveniunt. Quantum porro discriminis per diversitatem climatis, aëris, consueti laboris etc. inducitur! Quare regula magis exacta designari vix potest, nisi sequens: „*Unusquisque attentis tum indigentiis tum reliquis suis rationibus appetitum, qui in esculenta et poculenta fertur, ita coërcere ac moderari studeat, ut neque saluti corporis neque reliquis suis officiis adversetur.*" Atque in hac ipsa hujus stimuli refrenatione *temperantiam* strictius acceptam reponimus, cujus praecipuae partes sunt *abstinentia* et *sobrietas;* illa cupiditates et delectationes circa esculenta,

haec vero circa potus inebriantes ad normam rectae rationis moderatur.

In sensu latiori *temperantia* etiam refrenationem reliquorum appetituum animalium, praesertim stimuli venerei complectitur, prout jam §. 265. innui.

2. Quapropter temperantia sic descripta singularem speciem generalis illius continentiae constituit, de qua §. 266. egimus, estque virtus summi momenti; utpote quae et insignem animi fortitudinem ostendit, et simul cum executione reliquorum officiorum indivulse cohaeret. Unde hanc naturae animalis refrenationem ab ipsis ethnicis quam maxime commendatam legimus. Vide Cic. de off. l. 1. c. 30.

§. 290.

Abstinentia.

1. Eam temperantiae speciem, qua appetitus animalis circa esculenta per rationem dirigitur, paulo ante *abstinentiam* dixi. Equidem nefas foret naturae ea denegare, quibus ad vitam ac vires conservandas indiget. Unde qui vel ex sordida avaritia, vel ex vana sui ostentatione, ex concepto vivendi taedio etc. necessaria sibi subtrahunt, certe peccant; imo siquis *directe* ad accelerandam mortem id faciat, crimen directae autochiriae incurrit. Attamen absit, ut pruritui naturali in omnibus obsequendum existimemus; potius illum coërcere ac dirigere oportet.

2. Quam ob rem ratio saepissime imperat aut suadet saltem, ut vel ab aliquibus ciborum generibus, vel etiam ad tempus aliquod ab omni alimento abstineamus. Rationes, ex quibus tale imperium vel consilium descendit, plerumque sunt: *Cura sanitatis; urgentes occupationes*, quae consuetam refectionem haud admittunt; *studium propriae abnegationis*, dum ad expugnanda vitia nobis interdum etiam a licitis temperamus; *sensus poenitentiae* et

saluberrimae illius tristitiae, *quae secundum DEUM est*, II. Cor. 7, 10., vel denique, ne longiorem catalogum texam, *lex aliqua positiva*.

3. Qui ergo ex ejusmodi rationibus genium suum defraudat, adeo non impingit contra pietatem sibimet ipsi debitam, ut nonnisi suum officium vel certe consilium de bono meliori exequatur; supposito nempe, ut neque valetudo neque reliqua officiorum exsecutio exinde notabiliter laedatur. Etiam divinus Redemtor, etiamsi Pharisaeorum ostentationem atque abusus vehementer aversaretur, ipsum tamen jejunium tamquam actum meritorium commendavit, dicens: „*Cum autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritae tristes. Tu autem, cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito; et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.*“ Matth. 4, 2. Praeterea Redemtor noster jejunium non tantum proprio suo exemplo sacrare voluit, sed etiam praedixit, discipulos suos jejunaturos esse. „*Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt.*“ Matth. 9, 15. Revera S. Ecclesia inde ab aetate Apostolorum pia fidelium jejunia non tantum rata habuit, sed etiam pro certis temporibus praescripsit. Equidem et haec Ecclesiae sanctio mutatis rerum temporumque adjunctis diversas vicissitudines subiit; attamen quoad rei substantiam lex isthaec adhucdum viget, prout mox dicturi sumus.

§. 291.

De jejunio ecclesiastico.

1. Jejunium aliud est *naturale*, quo ab omni prorsus alimento, etiam per modum medicinae sumto abstinetur, quodque praevie ad susceptionem sacrae Eucharistiae praescribitur; aliud vero *ecclesiasticum* dicitur, estque absti-

nentia a quibusdam cibis, cum unica per diem refectione hora competenti sumenda.

De jejunio naturali quasi per transennam haec sunto: Per Ss. canonum auctoritatem sub gravi sancitum atque per universalem Ecclesiae consuetudinem firmatum fuit, ut a media nocte, quae S. Communionem praecedit, nihil omnino per modum cibi, potus vel medicinae ab ore in stomachum trajiciatur. Atque hoc praeceptum non admittit parvitatem materiae; non enim ipse cibus vel potus, sed post sumtum cibum potumve S. Communio prohibetur. Attamen sacra Eucharistia *per modum viatici* sumenda jejunium istud haud requirit. Pari modo lex isthaec cessat, si e. g. facta irruptione hostili periculum sit, ne consecratae hostiae ab haereticis indigne tractentur; si sacerdos demum post consecrationem recordetur, se jejunum non esse; vel si celebrans post consecrationem deficiat, quo in casu alius sacerdos, etiam non jejunus sacrificium prosequi et absolvere debet; item si post sumtam ablutionem detegantur consecratae particulae, quae commode asservari non possunt; denique si parochus non jejunus die festo, vel in majori populi concursu sine magna hominum offensione sacrum omittere haud potest etc.

2. Jam de jejunio ecclesiastico pauca subjungimus. Itaque ut hanc Ecclesiae legem rite intelligamus, denuo ejusdem *literam* a *spiritu* discernere juvat. Juxta spiritum et intentionem Ecclesiae dies ad jejunandum designatos ita nos transigere oportet, ut animo ad poenitentiam atque meditabundam quietem composito peccata nostra detestari, et hos poenitentiae sensus tum per convenientem pravae concupiscentiae afflictionem, tum per opera misericordiae, per pias preces aliaque animi resipiscentis exercitia testatos facere satagamus. Hunc Ecclesiae spiritum pulcherrime enuntiant literae encyclicae, quae ad initium jejunii quadragesimalis ab Episcopis vulgari solent. Atque, ut de Ss. Patribus taceam, jam in veteri Test. textus desuper haud

paucos legimus; praesertim Isai. 58, 5. et seq., Zach. 7, 5. et seq.

3. Quodsi *literam* praecepti ecclesiastici attendimus, denuo dies jejunii a diebus abstinentiae distingui consueverunt. Jejunium stricte sumtum tria expetit: *a)* Abstinentiam a carnibus; *b)* unicam de die refectionem; *c)* denique certum refectionis tempus, quod modo est circa meridiem. Astvero diebus abstinentiae, e. g. sabbatis per annum recurrentibus tantummodo esus carnium prohibetur.

4. Quod jam certum refectionis tempus attinet, est quidem conveniens, ut consuetus Ecclesiae mos observetur; attamen, ubi solida ratio intercedit, Ecclesia facile connivet, ut refectionis tempori meridiano aliud, e. g. vespertinum substituatur. Multo majorem attentionem reliqua duo hujus praecepti capita sibi vindicant, scilicet ut *abstineamus a cibis prohibitis*, atque ut per diem, seu ab hora noctis duodecima usque ad sequentem mediam noctem *una tantum refectione* contenti simus. Haec duo enim ad substantiam jejunii spectant, et revera non unum, sed duplex praeceptum constituunt. Unde quibus e. g. esus carnium conceditur, propterea ab altera legis parte, quae iteratam refectionem prohibet, nondum solvuntur; et vice versa etiamsi aliquis ob graves labores etc. semet iterato reficere possit, exinde tamen officium abstinendi a carnibus neutiquam cessat.

5. Atque ambo haec jejunii capita omnino *sub gravi* obligant. Datur tamen parvitas materiae. Insuper praesens Ecclesiae praeceptum pro materna ipsius benignitate plures denuo mitigationes admittit. *a)* Inprimis enim legitimae consuetudini plurimum defertur. Hinc praeter lacticinia, quae in Germania usu veniunt, etiam moderata collatio, imo et parcum jentaculum conceditur. Qua in re, ut levitatem inter et anxietatem medium teneamus, factu optimum

erit, si consuetum morem sequantur, qualis inter homines probatos passim obtinet. *b)* Praeterea nostra praesertim aetate ab Episcopis esus carnium non adeo difficulter concedi, vel potius in aliud opus pium commutari solet. *c)* Denique quod unicam refectionem attinet, praeter illos, qui annum vigesimum primum nondum compleverunt, excusantur etiam omnes, quibus gravis et simul extrinseca molestia patrocinatur. Hujusmodi sunt, qui vel senio vel ex morbo necessariis viribus destituuntur, itinerantes, multo labore gravati, praegnantes et lactantes etc.

6. Ast quo magis Ecclesia infirmitati nostrae condescendit, eo exactius saltem perpauca illa servanda sunt, quae revera jubentur. Et quamvis per legem ecclesiasticam *qua talem* nonnisi ad exequendam ejus literam obstringamur, omnino tamen condecet, ut etiam studeamus spiritum assequi, quem litera recondit. Unde homo religioni sincere addictus plura, quamvis stricte prohibita non sint, hisce tamen diebus sibi cavenda existimabit, e. g. quoad usum fluidorum *), quoad superfluas oblectationes, quoad vanas saeculi pompas etc. Eo magis vero redargui debent, qui, etiamsi legitime excusati non sint, ne literam quidem hujus praecepti servant, vel omnino in formalem Ecclesiae contemtum illicitis vescuntur.

*) Juxta tritam sententiam: *Liquida non frangunt jejunium.* Attamen theologi ita distinguere consueverunt: *Potus proprie talis*, seu qui ex se et principaliter ad refrigerationem ac digestionem ordinatur, per literam praecepti ecclesiastici haud prohibetur, etiamsi aliquo modo nutriat, e. g. vinum, mustum, cerevisia valde tenuis etc., atque ne noceat haustus, simul aliquantulum panis concedunt. Prohibentur vero lac, jusculum carnium et ejusmodi, quae nempe principaliter ad nutritionem ordinantur, et proinde *rationem cibi* habent.

§. 292.

Peccata contra officium abstinentiae.

1. Nunc ad officium abstinentiae revertamur, in quantum nempe stimulum animalem imperio rationis generatim subjicere oportet. Huic igitur officio, si qualitatem attendimus, inprimis *cupedia* adversatur, qua quis palato magis quam rationi obsequens alimentis nonnisi delicatioribus aut quovis pretio comparatis inhiat. Praeterquam quod tales soli animali prurituí deserviant, plerumque etiam contra plura alia officia impingunt, e. g. contra curam sanitatis, contra leges justae parsimoniae etc. Imo animus ipse exinde imbellis redditur. Sane quis non indignatur, dum hominem adeo effeminatum et delicatulum videt, cui nihil prius est, quam gulae servire atque palatum suum omni titillare voluptate?

Hinc parentes prolibus suis quam maxime nocent, dum patiuntur vel omnino conferunt, ut cupediis et exquisitis ejusmodi deliciis assuefiant. Pari modo in summum ruricolarum detrimentum cedit, si potu arabico — Caffé — aliisque palati delicatioris voluptatibus illectantur. Dici vix potest, in quantum periculum perinde tum sanitas et firmitas corporis, tum res familiaris, tum ipsa quoque morum honestas adducatur.

2. Ratione quantitatis huic officio indigna *voracitas* repugnat, dum scilicet homines gulae indulgentes vel nullo servato ordine identidem ligurire solent *), vel, quod turpius, stomachum tanta ciborum copia replent, ut nonnisi

*) Haec liguritio non tantum saluti corporis multum obstat, sed frequenter etiam ad domestica furta disponit. Quare praecipue famulitium omni modo dehortandum est, ne clam sibi aliquid usurpet. Quis nescit, quam difficiles non raro casus enascantur, dum nempe postmodum de restitutione quaeritur?

succedens nausea finem imponat. Hoc turpissimum vitium non tantum rationi, sed ipsi quoque naturae adversatur, adeo ut homini honesto summum fastidium et vix non horrorem facessat. Unde omnem certe humanitatem exuunt, qui vel de voracitate sua gloriantur, vel stomachum ad ampliorem saginam artificiose praeparant. Praeter rerum copiarumque abusum tales vigorem atque vires corporis aeque ac animi misere pessumdant, naturam ad omnem libidinem disponunt, et vix non infra conditionem brutorum degenerant. Hinc in utroque Test. iis, qui huic vitio indulgent, iterato gravissimae poenae intentantur: „*In multis escis erit infirmitas, et aviditas appropinquabit usque ad choleram.*" Eccli. 37, 32. Juxta sententiam Apostoli autem illos certus interitus exspectat, „*quorum DEUS venter est, et gloria in confusione eorum.*" Philipp. 3, 18.

3. Et haec quidem de cupedia et voracitate tamquam constanti animi habitu obtinent. Quodsi quis hinc inde tantum modum atque justam mensuram excedat, praeter *quantitatem materiae* expendendum erit, qualis tum cognitionis tum libertatis usus intercesserit, et utrum infausta consectaria, quae forte sequuntur, e. g. contracta infirmitas etc. praevisa fuerint.

§. 293.

Officium sobrietatis.

1. Sobrietas in eo consistit, ut ratio sensuales appetitus quoad potus inebriantes rite coërceat et moderetur. Et generatim quidem ratio per revelationem illustrata usum vini aliorumque potuum, quibus aliqua inebriandi vis est, nequaquam prohibet. DEUS ipse has potuum species hunc in finem disposuit, ut non tantum sanitati atque vigori prosint, sed ut etiam *laetificent cor hominis.* Ps. 103, 15.

Tum vero divinus Redemtor et ipsusmet vino usus est, et per aquae conversionem signorum suorum initium fecit, imo mysterium ex omnibus summum sub speciebus *panis et vini* instituit.

2. Attamen hi potus, etiamsi moderate tantum sumantur, non tamen omnibus conducunt; praesertim corpori juvenili minus convenire solent. Insuper quia hi potus cariori pretio constant, fieri potest, ut, qui iisdem absque necessitate assuescit, majores sumtus impendat, quam res et ratio officiorum reliquorum patitur.

3. Praecipue vero cavendum est, ne per vim hisce potionibus propriam ratio ipsa sopiatur, vel illius usus ad tempus intercipiatur. Id enim, prout mox patebit, turpissimum foret. Quare, ut Redemtor ipse monet, *„attendite, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate.“* Luc. 21, 34. Et Apostolorum princeps hortatur: *„Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quaerens, quem devoret, cui resistite fortes in fide.“* I. Pet. 5, 8.

4. Demum facile perspicitur, studium sobrietatis, prout jam suapte indole ad nostra officia pertinet, necessariam quoque conditionem esse, ut reliquis officiis satisfiat, iis maxime, quae animum magis, quam corpus occupatum tenent. Quid enim obnubilata vel penitus oppressa ratione jam boni exspectare licet?

§. 294.

Vitium ebriositatis.

1. Ex dictis prona consecutio habetur, in quo consistat peccatum ebrietatis, et quae sit ejusdem malitia. Scilicet ebrietas est voluntarius excessus in potu inebriante usque ad defectum usus rationis; seu brevius, est voluntaria suppressio rationis per potus inebriantes. Quare in-

trinseca, ut ita loquar, hujus peccati malitia in eo residet, ut quis rationem et mentem suam tali potione violenter opprimat, sicque de statu morali dejectus ad conditionem brutorum redigatur. Imo homo inebriatus plerumque adhuc infra bruta detruditur; nam eadem potio, quae usum rationis violenter intercipit, etiam *stimulos animales* plurimum irritare, et saepe ad furorem accendere solet, ut adeo in locum rationis vis ebulliens naturae animalis succedat. Quanta jam ebrietatis turpitudo, dum homo ad imaginem DEI formatus sui plene impos speciem concitatae belluae prae se fert, et impetum musti, quo plenus est, sequitur!

2. Verum haec intrinseca ebrietatis perversitas plerumque aliis adhuc vel circumstantiis vel sequelis multum aggravari solet. Homines enim huic vitio addicti cultum divinum passim vel negligere vel nonnisi luride obire consueverunt, et non raro in blasphemias et sacrilegos ausus prorumpunt. Quantum ad semet ipsos praeter substantiam terrenam etiam vires et talenta sibi concredita turpiter prodigunt, maturam sibi mortem, vel certe aerumnosam senectam parant, aliorum aestimatione ac benevolentia destituuntur, saepe, ut habeant, quo huic passioni satisfaciant, ad probrosissima scelera deveniunt, vel etiam in ipsa ebrietate ad ea provolvuntur; et ne omnia commemorem, qualis denique aeternitas illos exspectat? *„Nolite errare, neque ebriosi regnum DEI possidebunt.“* I. Cor. 6, 9. etc. Pariter ex hoc vitio etiam *in alios* plurima mala redundant, scilicet per neglectum muneris vel officii, quod quis gerit; per scandala et seductiones; saepe creditores impie defraudantur, et familia ad incitas redigitur etc. Et haec quidem eo perniciosiora erunt, quo digniorem locum unusquisque occupat. Quis non cohorrescit, si e. g. *medicus*, ex cujus consiliis multorum salus pendet, per ebrietatem sui saepe impos invenitur? Attamen prae reliquis

hoc vitium in sacerdote, praesertim pastore animarum atrocitatem fere portentosam acquirit, dum nempe illi infra conditionem brutorum dejecti conspiciuntur, quos populi christiani duces et Angelos esse oportet. Haec sacerdotum perversitas jam ab Isaia inter praecipua incitamenta computatur, quibus populus ad omnem impietatem, DEUS vero ad acerbissimam vindictam provocetur. Isai. 28, 7. etc.

3. Quoad ipsam rationis oppressionem, quae fit per potus inebriantes, plures iterum gradus distingui possunt. Aliquando enim ratio nonnisi parum perturbatur, ita ut quis solito laetior, sui tamen nequaquam impos evadat. Aliquando autem ratio et sensus ipsi jam magis turbantur, ita ut lingua titubet, pedes vacillent, objecta externa videantur circumagi etc., stante tamen sufficienti sui suorumque officiorum conscientia. Hanc *crapulam imperfectam* dicunt. Denique *ebrietas perfecta* vocatur, dum usus rationis vel penitus, vel certe ita intercipitur, ut quis nonnisi confusam et valde turbatam sui eorumque, quae facit, notitiam habeat.

Ceu indicia perfectae ebrietatis designant: *a)* Si quis talia perpetrat, a quibus sui compos abhorret; *b)* si semet ad negotia usitata non amplius disponere potest; et praesertim *c)* si homo ceteroquin solidae mentis altera die rerum, quas praecipue gessit, jam non recordatur, e. g. quomodo domum venerit etc.

4. Ex his inferre licet, et quidem quoad plenam crapulam:

a) Qui voluntarie sese inebriat, nunquam non peccatum grave committit. Etiamsi enim circumstantiae aggravantes, quarum paulo ante mentionem feci, desint; jam ipsa inebriatio naturam rationalem nimium quantum deprimit; utpote dum ratione violenter oppressa in homine nihil nisi irritatum animal superest. Tan-

tam ignominiam et sensus intimus abhorret, et omnium populorum consensus ceu summam turpitudinem aversatur.

Res plurimum diversa est, ubi rationis usus per *somnum* intercipitur. Tum enim ratio non suffocatur, sed nonnisi ad tempus quiescit, seu activitatem suam suspendit, ut fessa organa ad novas functiones reficiantur. Hinc dormiens quovis momento expergefieri suique denuo compos reddi potest; atque ex eadem ratione in homine dormiente quasi imminutam naturae nostrae dignitatem suspicimus; verum ab homine inebriato mens ingenua refugit. Paucis, somnum inter et crapulam idem fere discrimen datur, quod inter duos navium gubernatores, quorum unus in conclavi suo dulciter quiescit, alter vero a tumultuantibus nauticis in imum tabulatum detruditur, dum interim saeviens tempestas navim ipsam huc illuc abripit.

b) Altera illatio est, *absolute prohibitum* esse tum se tum alios *directe*, seu destinato consilio inebriare; qui enim vel in semet ipso vel in aliis tantam turpitudinem intendit, nunquam non legem negantem transgreditur.

c) Ast etiam illi graviter peccant, qui licet citra intentionem, voluntarie tamen huic vitio indulgent, e. g. dum quis bibit, quantum potest, non curans, an sequatur ebrietas, necne; pariter si quis rationabiliter praevidet, illam secuturam, et tamen sibi haud temperat. Hinc juxta sententiam S. Thomae illi, qui frequenter ebrii sunt, plerumque toties graviter peccant, quoties se periculo inebriationis exponunt.

d) Insuper hoc peccatum non tantum nimio, sed etiam moderato haustu committi potest, scilicet si quis sciat, se ejusmodi potum ferre non posse, et quamvis multum non biberit, nihilominus inebriatum iri.

e) Praesertim compotationes illae turpissimae sunt, ubi

poculis concertatur, quis reliquos potando superare queat, utique cum summo periculo tum se tum alios inebriandi. „*Vae, qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem.*“ Isai. 5, 22.

f) E contrario juxta consuetas imputationis regulas a culpa saltem gravi excusatur, qui non advertit periculum ebrietatis, dum e. g. inculpabiliter vim et generositatem potus ignoravit, vel nescivit, stomachum suum solito infirmiorem esse etc.

§. 295.

Continuatio.

1. Crapulam imperfectam communiter peccatum nonnisi leve dicunt. Attamen per accidens saepissime grave redditur, e. g. dum quis semet periculo plenae inebriationis exposuit; dum ab experientia novit, se turbato, etsi non penitus emoto cerebro admodum proclivem esse ad libidinem, ad rixas aliaque peccata gravia; vel dum magnum scandalum inde secuturum praevidet etc. Praesertim de illis id obtinet, qui, quamvis non perfecte, frequenter tamen se ita inebriant. Haec pessima consuetudo praeter dissipationem bonorum plerumque etiam officiorum neglectum, complura scandala, et sat numerosam peccatorum catervam pedissequam habere solet. Prae reliquis hic potitandi habitus in sacerdote materiam summi moeroris praebet.

2. Qui denique ex potu liberaliori tantum solito laetior existit, *a peccato ebrietatis* equidem immunis censeri debet; attamen tum ratione scandali tum aliorum officiorum, quae vel negligi vel in discrimen adduci solent, etiam tales excessus saepenumero multum redargui merentur. Insuper valde timendum est, ne, qui sibi frequenter libera-

lius indulgent, in ipsum denique vitium temulentiae prolabantur.

3. Quod praesentem causam prae reliquis formidandam reddit, est, quod vitium ebriositatis facillime in diram consuetudinem abeat, quae semel contracta aegerrime corrigitur. Etiamsi ejusmodi helluones miserrimam conditionem suam agnoscant, posthabitis tamen sanctissimis pollicitationibus, ut canis ad vomitum, ad sordes suas revertuntur. Plerumque aliud remedium non restat, quam ut per longius tempus ab omni potu inebriante prorsus abstineant. Quamprimum enim dulci huic veneno labia denuo admovent, omnium propositorum jam immemores sese iterum concitato naturae pruritui permittunt. Unde quamvis ebriosorum sat magnus numerus sit, res tamen prodigio non absimilis videtur vel unicum videre, qui vere atque constanter emendatus dici queat.

4. Potissimae hujus vitii causae sunt: Otiosa et iners vivendi ratio; facilis et frequens accessus ad popinas; familiaritas cum ebriosis; domestica dissidia etc.

Saepe pia quidem, ast malesana ruricolarum liberalitas sacerdotem praecipue juniorem ad hoc vitium deflectit, dum nempe eidem ad suas aedes devertenti vinum adustum non tantum offerunt, sed obtrudunt etiam. Quare sollicite cavendum, ne potus iste ex omnibus periculosissimus in majori saltem quantitate, et nisi multa aqua dilutus sit, admittatur. Quam rigide frequentatio cauponarum citra casum necessitatis clericis interdicta sit, utique ex sanctionibus ecclesiasticis et decretis synodalibus constat.

§. 296.

Officia quoad vestitum.

1. Prout plures alias corporis indigentias, ita divinus codex etiam necessitatem semet vestiendi ex natura per peccatum corrupta repetit. In statu primaevae innocentiae

neque ulla aëris intemperies nudato corpori, neque corporis nuditas spiritui molesta accidebat, eo quod tum in homine ipso tum in rerum natura nullus omnino dissensus, sed plena et omnibus numeris absoluta harmonia esset. Ast pomo exitiali vix degustato *„aperti sunt oculi amborum, cumque cognovissent, se esse nudos, consuerunt folia ficus et fecerunt sibi perizomata.“* Gen. 3, 7. Et paulo post DEUS ipse, cum illos de paradiso voluptatis in aerumnosam hanc terram ejiceret, iisdem tunicas pelliceas parasse legitur, ut nempe inclementia mutati aëris ipsorum corpora minus dure afficeret. Quare haec corporis tegumenta ideo fuerunt adhibita, *a)* ut illae corporis partes oculis subducerentur, in quibus prava concupiscentia praecipue ferocire, et ex quarum intuitu libido etiam in aliis excitari solet; tum vero *b)* ut perniciosus influxus aëris aliorumque casuum magis arceretur et mitigaretur.

2. Sed nihil obstat, quo minus alii adhuc fines per vestitum intendantur, qui honestatem vel promovent, vel eidem saltem non repugnant. Hos inter eminet *distinctio utriusque sexus;* id quod natura ipsa urgere videtur, et in veteri Test. expresse sancitum fuit: *„Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea; abominabilis enim apud DEUM est, qui facit haec.“* Deut. 22, 5. Et sane morum honestati pessime consultum foret, nisi uterque sexus vestitu distincto sibique magis accommodato uteretur. Accedit distinctio *status et conditionis externae,* quam unusquisque in humana societate tenet; demum etiam *decor et pulchritudo corporis* intendi potest, in quantum tale placendi studium rectae rationi haud adversatur.

De venustate seu pulchritudine humani corporis generatim haec sunto: *a)* Haec corporis humani venustas absque dubio insigne DEI donum existit, utpote per quam dignitas hominis

visibiliter exprimitur. Revera nulla rerum creatarum species pulchritudinem aeternam magis repraesentat, quam corpus hominis juxta illius ideam rite formatum. Insuper haec externa venústas res et officia nostra multum facilitare potest, eo quod plurimum conferat ad captandam aliorum benevolentiam. *b)* Attamen haec eadem venustas bonum nonnisi physicum et valde caducum est; praeterea etiam in praesenti hominis corruptione vehementer timeri debet, ne, qui hac dote insigniti sunt, eadem in suam aliorumque perniciem abutantur. Qui in religione pietatisque studio sat obfirmatus non est, vix sibi temperabit, quin de hac corporis elegantia ridicule sibi complaceat, et nonnisi aliorum admirationem intendat. Jam vero qui taliter in semet ipso evanescit, mox etiam ad alia vitia protrudetur; hujusmodi sunt: Vana sui ostentatio, superfluus cultus corporis, luxus vel omnino lascivia in vestitu, vesana aemulatio etc. Praecipue morum honestas periclitari solet, ubi corporis venustas cum paupertate jungitur; nam et hic aliquo modo dici potest: *Ubi corpus, ibi aquilae.* Res est certe periculosissima, ubi exquisita forma cujusdam personae plurimos allicit, et ejus simul egestas impios procos audentiores reddit.

§. 297.
Regulae practicae.

1. Primarius itaque vestimentorum finis est *cura pudicitiae.* Qui ut certius obtineatur, sapientissimus Conditor tenerrimum nobis *sensum pudoris* indidit, adeo ut natura ipsa quasdam corporis partes obtectas velit. Hinc inter ipsas nationes barbaras rarissima exempla prostant, fuisse vel esse, quae nullo prorsus pudendorum velamine uterentur. Quapropter tum in tegendo corpore tum in discriminando sexu prima semper ratio pudicitiae et honestatis habeatur. Quidquid huic fini repugnat, nullo obtentu admitti potest.

2. Altera vestimentorum ratio *sanitatem* intendit, atque curam eo sollicitiorem sibi vindicat, quo majoris momenti

est, ut corpus incolume et salvum conservetur. Ast falluntur, qui curam pudicitiae cum studio sanitatis componi haud posse autumant. Honesta tegumenta, quibus partes verecundae velantur, sanitatem certe nunquam impedient, sed promovebunt potius. Quodsi tamen talis collisio obtendatur, ad communes conscientiae regulas provocandum erit, quae jubent, ut non sanitas honestati, sed potius honestas sanitati praeferatur.

3. Quod denique ornatum et pulchritudinem attinet, longe absumus, ut omnem in vestitu splendorem condemnemus. Certos intra limites *licet* huic semet ornandi studio nonnihil indulgere, et interdum *oportet* etiam. Hi limites sunt: *a)* Ut talis vestium ornatus non ex depravato animi affectu, sed ex ratione honesta instituatur; e. g. quia status et conditio nostra externa hunc vestitum expetunt, vel ne illis vilescamus, quibuscum vivimus, vel etiam dum puella semet moderate ornat, ut honestum ipsi matrimonium obtingat; et insuper *b)* ut tum ornatus tum compositio vestium pudicitiae, sanitati, legibus justae parsimoniae aliisque officiis, quibus tenemur, haud repugnet. Quodsi hae duae conditiones observentur, res procul dubio salva et rectae rationi omnino conformis erit; imo uxor e. g. justam reprehensionem mereretur, si ex neglecto vestitu maritum ad indignationem vel nauseam provocaret. Ita quoque nos sacerdotes ea, quae ad status nostri decentiam spectant, neutiquam negligere debemus. Etiamsi enim vestitus ipsum hominem revera haud praestantiorem reddat, scimus tamen, quam proni plerique sint, ut ex habitu externo ipsam dispositionem animi dimetiantur. Quam fiduciam subjecta communitas pastori suo exhibebit, quem veste obsoleta, lacera vel squalenti contectum videt? Nec deerunt, qui hunc neglectum vel sordidae avaritiae, vel incultis moribus vel aliis vitiis adscribendum putent.

Generatim prae omni vestimentorum ornatu unusquisque *munditiei* assuescat; haec enim non tantum plurimos morbos arcet, sed cum ipsa morum integritate intime cohaerere, imo *puritatis internae* indicium esse consuevit. Praeterea hoc munditiei studium aliis nos insigniter commendat; dum vicissim omnes hominem sordidum ad primum ejusdem conspectum aspernantur.

4. Ex his jam absque difficultate eruitur, quid de novis vestimentorum formis judicandum sit. Genius hujus mundi in regionibus praesertim occidentalibus mire sese exercet, ut novas semper novasque vestitus formas in lucem proferat. Verum etiamsi huic novitatis studio sola plerumque vanitas subsit, formae tamen recens inventae interdum tales sunt, ut prae antiquioribus pudori ac sanitati aliisque honestis finibus conveniant. Ast saepe etiam contrarium evenit. Quare sequentes notas adjicio:

a) Generatim hominem prudentem et sobrium dedecet, morem consuetum, siquidem rationi contrarius non sit, deserere, atque novissima quaeque inventa sectari.

b) Omnium minime illas formas imitari oportet, quae vel pudicitiae, vel sanitati vel cuicunque altioris ordinis officio adversantur. Id ubi accidit, frustra aliorum exempla obtenduntur.

c) Verum eadem prudentia plerumque suadet, ne formam recentiorem, sed simul honestam et a majori ac saniori parte jam adoptatam respuamus; secus enim, nisi vel provectior aetas, vel alia solida ratio excuset, plerumque notam hominis difficilis, morosi et a recepto usu alieni vix effugiemus.

d) Quare factu optimum videtur, ut etiam hac in ratione partem semper *majorem et saniorem* sequamur. Quidquid enim singulare et ab eorum, qui ejusdem conditionis sunt, more alienum est, plerumque non aedificat, sed offendit.

§. 298.

Vitia opposita.

1. Hisce de vestitu regulis inprimis adversatur, quidquid lascivum, procax atque ad excitandam libidinem comparatum est. Quare feminae illae certe ingentem reatum subeunt, quae se vel turpiter nudatas ostentant, vel ita se contegunt, ut per velaminis tenuitatem vel per lascivientem corporis compositionem intuentium oculos alliciant magis, quam arceant. Praesertim per hanc petulantiam severissimum DEI judicium sibi consciscunt, si taliter ornatae in publicis conventibus vel in ipsa omnino Ecclesia semet spectandas offerunt. Quot scandala in tanta hominum infirmitate exinde scaturire solent! Et quam pronum est, ut aliae ejusmodi formas inhonestas imitentur, imo ut talis procacitas pedetentim in communem totius regionis morem abeat!

Plerumque usus patriae obtenditur. Ast nequidquam. Contra Evangelium enim et conscientiam nullus locorum usus, nulla utcunque inveterata consuetudo praevalet. Neque de talibus denudationibus vel formis vere inhonestis dici potest, quod *ab assuetis nulla fiat passio;* etenim in hominibus praesertim junioribus per frequentes aspectus non stimulus venereus hebetatur, sed nonnisi pudor abstergitur, ut eo facilius turpia sibi indulgeant; quo facto passio per ejusmodi nefariam consuetudinem non minui, sed potius augeri solet.

2. Alterum vestimentorum finem, nempe sanitatem evertunt, qui vestibus utuntur vel nimis subtilibus, quae aëris intemperiem non arcent, vel etiam adeo arctis, ut membra compressa munere suo rite defungi nequeant. Praesertim redargui debent, qui per avaritiam aut turpem sui neglectum vestes gestant sudore, sordibus vel omnino malignis aegrotorum exhalationibus infectas.

3. Denique inordinatus vestimentorum luxus occurrit, ad cujus definiendam perversitatem attendi debet: *a)* Utrum talis *aliquid inhonesti* intendat; *b)* an ex ejusmodi ornatu saltem grave scandalum praevideatur; *c)* demum an reliqua fors officia inde violentur, quibus quis obstringitur.

4. Quare etiamsi splendor etiam honestus detur, nullus tamen inficiabitur, rem esse difficillimam ita sibi temperare, ut in vestitus elegantia nihil vanitatis subrepat. Tum vero quam pronum est, ut mens semel infecta sensim sine sensu vanitati assuescat, et demum ad ausus prorsus nefarios progrediatur? Jam alibi superbiam omnium peccatorum irritamentum et initium diximus. Praesertim sexui sequiori ingens ad vanitatem propensio esse solet. Quot enim ex feminis erunt, quae cum piissima Esther profiteri possint: „*Tu scis, Domine, necessitatem meam, quod abominer signum superbiae et gloriae meae, quod est super caput meum in diebus ostentationis meae etc.*" Esth. 14, 16. Quare jam ipsi Apostoli eas ad singularem decentiam atque modestiam hortantur. „*Volo*," inquit, Apostolus, „*similiter et mulieres in habitu ornato, cum verecundia et sobrietate ornantes se, et non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa, sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona.*" I. Tim. 2, 9. etc. Similia I. Pet. 3, 3. et seq. occurrunt. Quanta severitas hac super re antiquitus obtinuerit, tum ex constit. apost. l. 1. c. 3., tum ex Ss. Patribus, praesertim, ut de Tertulliano taceam, ex S. Chrysostomo patet.

5. Et sane aetas nostra de insano vestimentorum luxu et splendore justissime reprehenditur. Vesana aemulatio, qua homines tum ejusdem tum diversae conditionis vestimentorum ornatu semet mutuo assequi aut antecellere conantur, adeo omnium animos corripuit, ut tota fere Europa

motu celerrimo et cum communi omnium vertigine circa eundem semper vanitatis axem rotetur. Et quod pessimum, hoc vanitatis studium parvulis jam cum ipso lacte nutricis instillari solet. Effectus hujus inordinati luxus sub omni consideratione perquam dolendi sunt. Nam, ut paucos tantum commemorem, *a)* animus taliter fascinatus officia altiora, et ipsum denique vitae praesentis finem negligit; cumque media honesta ad tot expensas haud sufficiant, *b)* tum virginalis pudicitia, tum ipsa fides conjugalis venales fiunt, omnique flagitiorum generi latissima porta aperitur. Denuo ad experientiam pastorum provoco, an non una cum ingravescente luxu vestium etiam luxuria et luctuosa morum corruptio ingravescere soleant.

C.

DE OFFICIO CASTITATIS.

§. 299.

Notio castitatis.

1. Antequam hanc gravissimam materiam ordiamur, quaedam verbis potissimum Oberrauchii praefari juvat. Res est profecto quam maxime deploranda, hominem, licet ratione praeditum, ad DEI ipsius aeternam fruitionem factum, et pretioso Christi sanguine redemtum ad tantas turpitudines delabi posse, quas sine rubore ne nominare quidem licet, imo quarum plerasque non tantum vox viva, sed ipse quoque calamus erubescit. Certe ex omnibus miseriis, quae ex originali peccato etiam post baptismum remanent, haec ad venerem proclivitas locum facile primum occupat. Homines etiam constantissimi non raro subito corruunt, et qui antehac prorsus integri fuerunt, huic vitio postmodum adeo inhaerent, ut eorum emendatio

vix non desperanda videatur. Prout enim haec voluptas hominem vehementer pellicit, ita semel degustata sensum honestatis multum hebetat, lumina puriora extinguit, atque hominem in turpissimam servitutem redigit. Unde praesertim ad hos lapsus illud Apostoli applicari potest: „*Qui se existimat stare, videat, ne cadat.*" I. Cor. 10, 12. His praemissis jam ad explicandam castitatis indolem descendimus, utique non indigna curiositate ducti, sed quia ad sacerdotis officia spectat, ut praesertim in hac materia tum vacillantibus tum lapsis pro viribus opituletur.

2. Itaque natura nostra animalis vehementer ad voluptates illas propendet, quas facultas ad generandum data secum fert. Equidem stimulus iste ex nativa indole ac destinatione sua bonus est, utpote a DEO ipso, et quidem hunc in finem nobis congenitus, ut genus humanum non interrupta serie propagetur multipliceturque. Ast prout reliquos appetitus animales, ita et hunc naturae impetum ad normam legis divinae coërcere et dirigere jubemur. Atque haec ipsa stimuli genitalis refrenatio virtutem *castitatis* constituit, quam proinde definimus, esse officium, quo omnis inordinatus venereorum tum appetitus tum usus prohibetur.

3. Ex qua definitione sequentia inferri possunt:

a) Officium castitatis est *officium negans*, quod adeo proxime non ajentem operam, sed solam abstinentiam ab omni inordinato venereorum appetitu inordinatoque illorum usu deposcit. *Proxime*, inquam; *mediate* enim absque dubio etiam omnia illa subsidia adhibere jubemur, quae ad refrenandum stimulum adeo ferocem videntur necessaria.

b) Hoc idem officium est singularis species continentiae illius generalis, qua nos generatim appetitus et affectus nostros ad normam legis divinae moderari oportet. §. 266. Et quidem quo majorem molestiam

stimulus venereus plerisque facessit, eo majori quoque attentione et solicitudine opus est, ut semper, prout decet, refrenetur. Simul vero qui hunc tantum naturae impetum legitime coërcet, virtutum plane insignem manifestat. Revera homines castitate insignes semper et ubique gentium maximi habitos, et communi omnium praeconio celebratos fuisse legimus, sensu intimo dictante, ad has pugnas feliciter sustinendas robur non mediocre, sed prorsus singulare requiri. Praesertim sacrae utriusque Test. paginae hanc virtutem urgent pariter ac praedicant, qua de re per decursum plura testimonia afferentur. Interim hic illum tantum locum citare juvat, qui in 1. Sap. habetur: „*O quam pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius, quoniam et apud DEUM nota est et apud homines. Cum praesens est, imitantur illam et desiderant eam, cum se eduxerit, et in perpetuum coronata triumphat incoinquinatorum certaminum praemium vincens.*“ Sap. 4, 1. etc.

4. Sed jam quaeritur, quinam venereorum appetitus et usus *inordinatus* sit, seu quid lex divina quoad hunc stimulum prohibeat, idque tum extra legitimum conjugium, tum in illo.

§. 300.

Rationes hujus officii.

1. Cum corpus nostrum non ad dispositionem arbitrariam, sed nonnisi ad usus legitimos a DEO nobis concessum sit, ejusdem organa ita semper adhiberi debent, prout voluntati divinae consonum est. Quisquis personam suam tamquam *meram rem* considerat, qua pro mero libitu uti possit, non tantum semet ipsum turpiter deprimit, sed insuper etiam reatum *violati juris divini* incurrit, prouti

illum perfidum vocamus, qui rebus, quas nonnisi ad certos fines creditas accepit, ad usus longe diversos utitur; atque id eo magis obtinet, quo majoris momenti facultas fuerit, qua quis contra DEI voluntatem abutitur.

2. Jam vero juxta certissima dictamina rationis per revelationem illustratae facultatem genitalem nonnisi in legitimo conjugio, et tum quoque eo tantum modo adhibere fas est, prout et hominis dignitati et ipsius conjugii fini convenit. Et quidem quod extra legitimum matrimonium omnis omnino hujus facultatis usus interdictus sit, haud difficulter ostenditur sequenti ratione:

a) Doctrina novi Test. diserte omnem actum venereum, qui fit extra legitimum conjugium, ceu nefarium condemnat, ita ut, quicunque huic stimulo taliter indulgent, de regno DEI excludantur. „*Nolite errare, neque fornicarii, — neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores — regnum DEI possidebunt.*" I. Cor. 6, 9. etc. Et ibidem S. Apostolus illis, quibus plena continentia nimis ardua videtur, aliud consilium nescit, nisi ut ad portum justi conjugii confugiant. „*Quodsi non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri.*" Ib. 7, 9. Ratio vero, quam Apostolus attexit est, quia nobis in corpus nostrum aliud jus non competit, nisi ut illo legitime utamur. „*Corpus non fornicationi, sed Domino.*" Ib. 6, 13. Atque haec ratio hominem christianum eo arctius constringit, quo magis corpus nostrum per novam salutis oeconomiam nobilitatum fuit. §. 277. „*Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? Absit. — An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a DEO, et non estis vestri?*

19 *

Emti enim estis pretio magno. Glorificate et portate DEUM in corpore vestro." Ib. 6, 15. etc. Cf. S. Thom. 2. 2. Q. 153. art. 3.

b) Eandem doctrinam divina traditio prae se fert. Juxta constantem et unanimem Ecclesiae sensum omnis, qui extra legitimum conjugium huic stimulo indulget, nefarie agit et corpore suo abutitur.

c) Sed neque sanam rationem hujus asserti veritas latere potest. Et quidem quod illas spurcitias attinet, quae *contra naturam* seu directe contra destinationem facultatis genitalis perpetrantur, mens rationalis adeo illas abhorret, ut ipsa horum flagitiorum enumeratio castis auribus vix toleranda videatur. Ast etiam usum naturae convenientem, ubi legitimum conjugium haud intercedit, ratio quam maxime improbare cogitur. Etenim prout celeberrimi philosophi jam dudum demonstrarunt, haec est indoles actuum genitalium, ut dignitas humanae naturae tum demum incolumis servetur, quando uterque sexus vinculo perenni atque ad fines altiores in *unam personam* coalescit. Quapropter ubi legitimum conjugium deest, dignitas personalis turpissime pessumdatur, et qui ita sibi commiscentur, personam tum suam tum alterius partis tamquam *merum medium explendae libidinis* adhibent. Id quod etiam Apostolus innuere videtur, dum ait: „*An nescitis, quoniam qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne una.*" I. Cor. 6, 16. Neque huic assertioni consensus populorum deest. Ipsi ethnici, etiamsi nescio quo caeco errore ducti simplicem fornicationem viris indulgebant, illam tamen sensu suo intimo convicti non condemnare non poterant. Ut pro pluribus unum afferam, Plutarchus in libro contra voluptatem ex eo, quod scortatio

nonnisi in tenebris sine testibus committi soleat, infert, non posse honestum esse, quod caligine obtegendum putamus.

d) Aliae rationes ex pessimis consectariis petuntur, quae inevitabilia forent, si etiam extra conjugium stimulo venereo indulgere fas esset. Brevitatis causa id unum commemoro: Scilicet DEUS non tantum vult, ut genus humanum propagetur, sed etiam ut tenerae soboli paterna cura, debitus cultus et justa educatio obtingant. Ast qua ratione haec omnia praestari possent, nisi usus facultatis genitalis ad legitimum matrimonium severe restringeretur? Quamprimum etiam extra matrimonium stimulum istum explere licet, nemo jam tot tantasque molestias subibit, quae statum conjugalem comitantur; atque sic sublato tum familiarum tum totius reipublicae sanctissimo vinculo miserae proles jam nullos parentes, sed nonnisi genitores habebunt, ac praeceps libidinum torrens nullis amplius ripis coarctatus mox omnia horrendum in modum inundabit. Superessent aliae adhuc rationes, quibus hujus extra conjugium absolutae continentiae necessitas demonstrari solet; verum quin illis de valore suo aliquid detrahamus, nobis abunde sufficit doctrina certa prorsus et eliquata religionis nostrae. Unde contra omnes sapientiae carnalis argutias inexpugnabile scutum dogmatis revelati tenemus: „*Nolite errare, neque fornicarii, neque adulteri regnum DEI possidebunt.*“ I. Cor. 6, 9. etc. „*Nemo vos seducat inanibus verbis; propter haec enim venit ira DEI in filios diffidentiae.*“ Eph. 5, 5.

§. 301.

Variae castitatis species.

1. Quapropter extra matrimonium omnis prorsus facultatis genitalis usus, et proinde etiam omnis voluntarius appetitus harum voluptatum severe prohibetur. Quisquis ergo vinculo conjugali haud ligatur, ad *castitatem* seu *continentiam plenam atque perfectam* obstringitur. Verum et hanc vel *virginalem* vel *vidualem* dicunt. Utraque harum specierum continentiam perfectam et absolutam significat, ita tamen ut virginalis plenam sexus integritatem, vidualis vero praecedentem illius usum vel abusum supponat. De virginitate alibi tractaturi, non est, quod hic plura addamus.

2. Verum inter conjuges actus genitales non tantum permittuntur, sed generatim jubentur etiam. Attamen eorum est sibi attendere, ne merum hujus stimuli impetum sequantur, sed ut eundem nunquam non ad normam rationis vel potius voluntatis divinae moderentur. Quod ubi fit, *castitas conjugalis* inde resultat, quae etiam *imperfecta* dicitur, eo quod non omnem voluptatem veneream, sed illam tantum excludat, quae vel fidei conjugali repugnat, vel ipsos inter conjuges legi divinae adversatur. Etiam de hac castitatis specie alibi dicemus, in tractatu nempe de societate conjugali.

§. 302.

Diluuntur potissimae objectiones.

1. Quamvis allatae rationes, praesertim quas ex divina revelatione depromsimus, nullis argutiis concuti queant, ad ea tamen, quae ab hominibus improbis saepe obmoventur, breviter respondere juvat. Et nostra quidem aetate inter homines etiam plebejos perversissima hinc inde principia

pervulgata inveniuntur, quasi nempe expletio stimuli venerei inter innocua vitae gaudia locum haberet, vel saltem a reatu gravi prorsus immunis esset etc. Scilicet homo animalis non percipit ea, quae sunt spiritus, et plerique nimis proni sunt, ut quae sensibus multum lenocinantur, sibi etiam persuasa putent. Quodsi tales, qui vel per prava colloquia, vel per pestiferos libros hoc exitiali errore imbuti fuerunt, adhuc positivae revelationi adstipulantur, via ad refellendum errorem semper brevissima erit, si divina illis oracula luculenter ob oculos ponamus. „*Vivus est enim sermo DEI, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti.*“ Hebr. 4, 12. Ast nimis frequenter accidit, ut, qui pudorem abjecerunt, circa ipsam quoque fidem naufragarint; quibus proinde etiam ex ratione erit respondendum.

2. Itaque nonnulli actus libidinosos inde excusant, quod DEUS ipse homini hunc stimulum indiderit. Sed vix opus est, ut ad argumentum tam infirmum denuo respondeam. Utique idem naturae auctor etiam *legem* adjecit, juxta quam hunc stimulum moderari oporteat, et in transgressores severissimas poenas decrevit. Et quid, si generatim haec argumentandi ratio valeret: „*DEUS mihi stimulum e. g. vindictae, avaritiae, gulae etc. indidit; ergo eidem obsecundare fas est?*“ Neque oblivisci decet, stimulos animales, *quales nunc illos experimur*, non tam a DEO nobis immissos esse, sed ex natura per peccatum corrupta descendere.

3. Alii in hisce flagitiis nihil nisi *mutuum utriusque sexus amorem* deprehendunt, atque cum amor hominem prae omni alio affectu deceat, has turpitudines omni modo excusandas arbitrantur. Sed absit, ut affectionem mere animalem mutuum amorem dicamus. Mutuus amor necessario alterius partis bonum intendit, illudque promovere nititur.

Quid vero illi intendunt, qui corpore suo ad explendam libidinem mutuo abutuntur? Sane animalem pruritum sequentes nonnisi semet ipsos petunt, et praeterquam quod tum suam tum alterius personae dignitatem turpissime foedent, semet infelicissimos reddunt. Furor est, non amor, quo homines in hoc peccato complices veram suam destinationem pessumdant.

Quapropter quis non summopere doleat, imo et indignetur, quod poësis, publica spectacula sublimioresque artes animalem affectum unius sexus ad alterum ubique ceu dignissimum amorem, et tamquam summam vitae beatitudinem exhibeant? Quid mirum, si juventus ad hoc vitium jam alias adeo proclivis tanto impetu ad voluptates anhelet, quae auribus, conspectui et phantasiae tam fallaciter et tamquam omnis felicitatis culmen obtruduntur?

4. Dantur etiam, qui curam sanitatis obtendunt, quasi ad veras naturae indigentias spectaret, ut stimulo venereo interdum satisfiat. Sed huic assertioni tum peritissimi medici contradicunt, tum omnis experientia obstat. Dum luxuria corpus aeque ac animum effeminatum reddit, continentia hominem, nisi alia quaepiam infirmitas intercedat, in seram usque senectam firmum atque vigentem conservat.

5. Plerique graves molestias causantur, quibus officium hocce obnoxium esse soleat. Verum quid fieret, si unusquisque illa tantum officia exequi vellet, quae molesta non sunt? Quam arduum est illud quoque, quo e. g. inimicos diligere, inter summas rerum acerbitates animum constantem tenere, vel bono publico facultates et ipsam vitam impendere jubemur? Ast numquid exinde haec officia cessant? Attamen dummodo quis vitam suam ad nonnullam severitatem componat, pugnae illae, quae castitatem premunt, in plerisque adeo graves non sunt. Homo labori atque orationi assuetus, atque tum sensuum licentiam tum

illicia externa caute declinans insultus, quos experitur, non adeo difficulter repellet. Multo minus quaedam hujus officii impossibilitas astrui potest. Dicamus potius cum dilecto discipulo: „*Mandata ejus gravia non sunt. Quoniam omne, quod natum est ex DEO, vincit mundum; et haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra.*“ I. Joann. 5, 3. etc. Scilicet, ut S. Chrys. respondet, „*quia non vis, non quia non potes. Quodsi libidinem expleturis adesset legislator, judex, qui statim uri aut exscindi lascivum juberet, posset metus expellere libidinem.*“

6. Ast homines de virtute sua desperantes ad ipsam auctoritatem sacrae scripturae provocant; nempe ad dictum Christi: „*Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est etc.*“ Matth. 19, 11. etc. Pariter ad illud, quod Apostolus ait: „*Unusquisque proprium donum habet ex DEO; alius quidem sic, alius vero sic.*“ I. Cor. 7, 7. Verum exinde aliud inferri nequit, quam *absolutam continentiam* non omnibus aeque facilem, neutiquam vero illam aliquibus prorsus impossibilem esse. Unde quisquis ad illam se adstringit, semet ipsum praevie bene perspectum teneat, ne forte oneri, quod imprudenter sibi imposuit, prae infirmitate succumbens non tam salutem sibi, quam reprobationem consciscat.

§. 303.

Peccata interna.

1. Quamvis natura ipsa quodammodo obnitatur, ratio tamen vocationis nostrae postulat, ut flagitia illa enumerentur, quae castitati repugnant. Scilicet oportet nosse venena. Ne vero diversos actus, qui castitati opponuntur, confundamus, praevie sequentem ordinem statuimus: Aliqui horum actuum immediate, et extra conjugium absolute prohibentur; alii vero mediate tantum et hypothetice, in

quantum nempe luxuriam ipsam non absolvunt, sed nonnisi ad illam disponunt. Porro actus immediate prohibiti vel mere interni, vel simul externi sunt, tumque vel imperfecta, vel perfecta seu consummata luxuria dicuntur. Denique alia naturae convenienter, alia vero contra naturam patrari solent.

2. Inprimis igitur actus mere interni occurrunt. Atque de his breves esse possumus, eo quod omnia, quae §. 111. et seq. de morosa delectatione, de pravo desiderio atque de peccandi decreto diximus, huc applicanda veniant. Id solum per occasionem notatum velim, illos, qui de habita delectatione vel de pravis desideriis se accusant, interdum in ipsam pollutionem lapsos fuisse, quin ejusdem mentionem faciant. Unde pro rerum personarumque adjunctis caute quidem, ast sollicite simul, quid acciderit, inquiri debet.

§. 304.

De actibus imperfectis.

1. Ubi morosa delectatio, vel desiderium et decretum peccandi in actus externos prorumpit, ita tamen ut luxuria ipsa haud consummetur, hosce actus *imperfectos* dicunt; ejusmodi sunt: Lascivientes aspectus, sermones, tactus, oscula, amplexus etc. De his jam sequentia sunto:

a) Supposito, quod sub hisce actibus delectatio morosa vel pravum desiderium lateat, reapse aliud non sunt, quam eruptiones depravatae voluntatis. Hinc etiam de eadem illa malitia participant, quae actibus perfectis convenit.

b) Prout generatim plurimum interest, utrum actus interni ipso opere compleantur, necne, §. 112., ita etiam hi ausus imperfecti conditionem hominis multo deteriorem faciunt, quam actus mere interni. Praeser-

tim illi, qui alios hoc modo sollicitant, culpam dati scandali incurrunt.

c) Quo magis per hujusmodi actus pudor et reverentia violatur, quam unusquisque tum sibi tum aliis debet, eo majorem quoque perversitatem involvunt.

Jam denuo monere juvat, saepe fieri, ut ii, qui e. g. de copula imperfecta se accusant, libidini suae per peccatum contra naturam plene indulserint. Ast in re tam delicata difficillime inquiritur, et ubi medium haberi nequit, satius est justo minus, quam justo plus sciscitari.

2. Et haec quidem obtinent, ubi ejusmodi actus reapse morosam delectationem vel consensum comitantur. Ast saepissime sub iisdem animus non adeo perversus latet, ita ut non tamquam *actus ipsius libidinis*, sed nonnisi tamquam *causae ad illam disponentes* considerari debeant. Atque sub hac ratione infra de illis dicturi sumus.

§. 305.

De peccato fornicationis.

1. Nunc jam diversae flagitiorum species enumerandae sunt, quibus luxuria plene consummatur. Et inprimis quidem eas turpitudines indicabimus, quae naturae convenienter exercentur. Has inter primo loco *fornicatio* occurrit, quae definiri solet, esse copulam carnalem soluti cum soluta ex mutuo consensu. Quae definitio ut magis dilucidetur, notandum est, *solutos* non eos tantum dici, qui conjugati non sunt, sed qui insuper nullo alio vinculo tenentur, cognationis nempe vel affinitatis in gradibus prohibitis, voti, sacri ordinis etc.

2. Ad fornicationem *concubinatus* quoque reducitur, seu concubitus frequentatus viri cum femina soluta, quam hunc in finem vel domi retinet, vel alibi frequentat.

3. Dubio caret, quin fornicatio jam *suapte indole* peccatum mortale constituat. Quisquis enim libidini tali modo indulget, in re gravissima nefarie jus sibi usurpat, atque contra certissimam DEI voluntatem tum sua tum complicis persona turpissime abutitur. Atque haec ingens turpitudo in immensum augetur, si stupendam dignitatem pensitemus, qua corpus nostrum in nova salutis oeconomia resplendet. „*Corpus non fornicationi, sed Domino, et Dominus corpori. Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? Absit! An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a DEO, et non estis vestri etc.?*“ I. Cor. 6, 13. etc. Ex eadem ratione impudicitia cum *profanatione templi* comparatur. „*Nescitis, quia templum DEI estis, et Spiritus DEI habitat in vobis? Si quis autem templum DEI violaverit, disperdet illum DEUS. Templum enim DEI sanctum est, quod estis vos.*“ Ib. 3, 16. etc. Cum igitur tanta sit dignitas corporis nostri, Apostolus denuo exclamat: „*Fugite fornicationem. Omne peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.*“ Ib. 6, 18. Hinc divina revelatio fornicariis absque omni exceptione aeternam ubique reprobationem intentat. „*Nolite errare; neque fornicarii regnum DEI possidebunt.*“ Ib. 6, 9. „*Omnis fornicator, aut immundus non habet haereditatem in regno Christi et DEI.*“ Eph. 5, 5. „*Fornicatores et adulteros judicabit DEUS.*“ Hebr. 13, 4.

4. Insuper haec turpitudo plerumque tum alia vitia, tum tristissimos effectus progignit. Rari non sunt, qui, ut pudenda voluptate absque impedimento frui possent, ab ipsa fide et religione defecerunt. Neque id mirum; „*omnis enim, qui male agit, odit lucem.*“ Joann. 3, 20. Tum

vero, qui huic vitio inhaerent, praeterquam quod animi corporisque vigorem, famam, res et spes suas, atque non raro ipsam vitam pessumdent, destinationis suae immemores vivunt, et *pars illorum erit in stagno ardente igne et sulphure, quod est mors secunda.* Apoc. 21, 8. Porro perversitatis suae *complices* vel innocentia et integritate despoliant, vel saltem fors jam corruptas novis arctioribusque vinculis flagitio adstringunt. Qui vel unicam personam ad hanc turpitudinem pertraxit, quam tremendum judicium operiri debet? Quid, si talis femina venenatam dulcedinem semel experta jam ad plura et continuata flagitia devolvitur, vel, dum se infamiae ac tristissimae sorti objectam videt, per omnem vitam misere contabescit, vel omnino in desperationem acta tum sibi tum conceptae proli internecionem parat? Denique quam lugenda conditio prolium esse consuevit, quae tali modo nascuntur! Et quot scandala, aerumnae ac detrimenta in plurimos alios exinde scaturiunt! Verissimum est, quod aliquis ait: „*Neque aliud est scelus, quod mundo tanta mala importavit, nec ullum scelerum genus est, quod lascivia hucusque non pepererit.*“

5. Atque haec omnia etiam de concubinatu obtinent, quippe qui aliud non est, quam fornicatio continuata. Unde juxta complures Ecclesiae canones concubinarii, etiamsi mors immineat, absolvi tamen non possunt, quin prius concubinas domo expellant, nisi forte tempus illas ejiciendi omnino desit. Multo magis extra mortis articulum absolutio illis deneganda est, antequam id fecerint. Quodsi concubina extra domum habeatur, absolutio tamdiu differri debet, donec concubinarius emendationem suam sufficienter testatam fecerit. Quae quidem ex iis sat dilucide patescunt, quae §. 127. et seq. de occasione proxima diximus. Etiam

Patres tridentini contra concubinatum pro rei gravitate inardescunt. Sess. 24. c. 8. de reform.

§. 306.

Peccata adulterii, incestus etc.

1. Quodsi praeter titulum generalem, quo fornicatio tam severe prohibetur, alia insuper officia violantur, tali flagitio nova etiam atque specialis perversitas accedit. Huc igitur adulterium, incestum, raptum, stuprum et sacrilegium referimus. Quapropter de hisce peccatis inprimis ea omnia repetenda veniunt, quae paulo ante de malitia fornicationis attuli; tum vero eadem malitia insuper eo atrocior redditur, quo gravior est titulus specialis, qui tali facinori obstat.

2. Et quidem *adulterium* dicunt esse violationem tori alieni; seu est concubitus personarum diversi sexus, quarum una vel utraque matrimonii vinculo ligata est *). Quanta hujus peccati atrocitas sit, neminem latere potest, utpote quo fides sanctissimi vinculi et ipsius Sacramenti evertitur. Praeterea conjux innocens gravissime affligitur, destruitur pax et salus domestica, vel ubi crimen uxoris occultum manet, tum marito tum legitimis haeredibus per prolem fors ex adulterio conceptam ingens detrimentum inferri solet. Neque nota adulterii abstergitur, si pars altera in hoc conjugis flagitium consentiat. Etenim prout homini soluto nullum jus competit corpus proprium ad libidinem exponendi, ita neque conjugatis permissum est, ut tantum scelus mutuo sibi indulgeant. „*Quod DEUS conjunxit, homo non separet.*" Matth. 19, 6.

*) Hinc adulterium vel *simplex* vel *duplex* dicitur. Plura, quae huc spectant, in tractatu de matrimonio, atque de restitutione occurrent.

3. *Incestus* committitur, ubi inter complices talis cognationis affinitatisve gradus intercedit, ut lege publica ab ineundo matrimonio arceantur. Et quidem natura ipsa refugit, ut personae carnaliter sibi commisceantur, quarum *una ab altera* descendit; id enim cum reverentia, quam proles suis genitoribus debent, componi prorsus non potest. Verum etiam inter eos, qui *a latere* propinqua sibi cognatione junguntur, divina sapientia aliquod pudoris munimentum posuit, atque teste experientia ex tali consanguineorum connubio vel nulla, vel nonnisi infirma et effoeta progenies nasci solet. Et sane quis non etiam in hoc divinam providentiam admirari cogitur? Si enim fratres inter et sorores et generatim inter homines consanguineos consueta stimuli venerei vehementia intercederet, de morum integritate vix non conclamatum foret. Simul etiam inde fit, ut sacerrimo conjugii vinculo non tantum homines, sed etiam diversae familiae sibimet affines reddantur, atque hoc pacto, tota societas arctius sibi cohaereat. Ast praeter naturalem cognationem datur etiam *legalis* et *spiritualis;* prior ex legitima adoptione resultat; spiritualis vero ex Sacramentis baptismi et confirmationis oritur, dum scilicet is, qui alterutrum horum Sacramentorum suscipit, una cum suis parentibus tum ministro tum patrinis cognatus evadit.

Quousque tum affinitas tum diversae species cognationis matrimonium dirimant, et quid tum nupturientibus tum conjugatis injungendum sit, ubi perpetrátum incestum confitentur, ex jure canonico constat. Id unum addo, omnino ad munus confessarii spectare, ut sciat, ad quam speciem incestus, de quo poenitens se accusat, pertineat, atque ut cognationis, naturalis saltem, gradus primus et secundus, si forte obtinuit, explicetur. Idem de gradu primo et secundo affinitatis expetunt.

4. *Stuprum* in sensu stricto est violenta defloratio virginis. In sensu autem latiori etiam ille malitiam stupri incurrit, qui personam aliquam, etiamsi non amplius virgo sit, ad praestandum corporis usum violenter inducit. Pariter non eam tantum inductionem *violentam* dicunt, quae fit per vim externam vel metum gravem; sed et illam, qua quis personam alias non consensuram fraude vel fictis promissionibus ad libidinem pellicit *). Et certe, qui personam aliquam taliter ad peccatum disponit, praeter crimen fornicationis malitiam insuper specialem contrahit, praesertim si persona isthaec hucusque incorrupta et integra fuit. Imo stuprator non tantum ipsi virgini, sed etiam ejusdem parentibus et familiae atrocissimam injuriam infert.

5. Denique etiam *sacrilegium* malitiam singularem involvit, seu actus libidinosus, qui vel in *loco sacro*, vel *a persona sacra*, vel demum *cum tali* exercetur. Personas vero sacras dicimus, quae vel ad majores ordines evectae sunt, vel voto continentiae ligantur. Praesertim non sola religio, sed etiam mundus profanus hoc scelus detestandum ducit, ubi vel a religioso professo, vel a clerico in sacris constituto committitur. Praeter horrendum scandalum et summam ignominiam, quae exinde in ipsam religionem retorqueri solet, quam indignum est hominem vel DEO solemniter consecratum, vel sacrorum ministrum eousque degenerare? Verissime S. Greg. M. inquit: „*Nullum puto, fratres charissimi, majus praejudicium ab aliis, quam a sacerdotibus tolerat DEUS, quando eos, quos ad aliorum correptionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit; quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus.*" Hom. 17. in Evang. Imo jam ipsa

*) Pari modo stuprum committit, qui personam aliquam inebriat, ut illa abutatur.

tantae turpitudinis suspicio a quovis sacerdote procul esto. Unde conversatio nostra cum sexu altero non tantum castissima, sed etiam cauta admodum sit oportet, ut et is, „*qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.*“ Tit. 2, 8. „*Duae res sunt,*“ ait. S. Aug., „*conscientia et fama: conscientia necessaria est tibi, fama proximo tuo; qui fidens conscientiae suae negligit famam suam, crudelis est.*“

Constitutiones ecclesiasticas, quae sacerdotes *peccati turpis complices*, vel *occasione ipsius sacramentalis confessionis ad turpia sollicitantes* petunt, doctrinae pastorali exponendas relinquimus. Et sane vix quidpiam detestabilius invenias, quam si minister gratiae remedium salutis in laqueum perversionis convertat, fideles que ibidem tristissimo naufragio exponantur, ubi optatum portum subire cupiunt.

§. 307.

Peccata contra naturam.

1. Restant adhuc ima et maxime pudenda vitia, quibus concitata libido contra ipsius naturae ordinem ac destinationem expletur. Huc referuntur: *a) Mollities*, seu voluntaria libidinis expletio per effusionem seminis extra concubitum; *b) sodomia*, et quidem *perfecta* seu concubitus duorum ejusdem sexus, vel *imperfecta*, quae fit cum sexu quidem diverso, attamen studiose extra vas a natura destinatum; *c)* denique *bestialitas* seu coitus hominis cum bruto. Scilicet nullum flagitium, nulla atrocitas datur, quam homo depravatus, ubi gratiae divinae deest, admittere non ausit. Ipsos gentilium philosophos, eo quod veritatem DEI in mendacium commutaverant, tradidit DEUS in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis affecerint corpora sua in semet ipsis, atque relicto naturali usu in invicem exarserint, masculi in masculos turpitudinem operantes. Rom. 1, 23. etc.

Imo haec in speciosos pueros lascivia inter cultissimos Graecos demum quasi civitate donata, et legum publicarum privilegio munita fuit. Aristot. de rep. I. 2. c. 8. Mox etiam Romani in tantum dedecus provolvebantur, adeo ut latius hoc flagitiorum portentum grassaretur. Cf. Cicero: Quaest. Tusc. l. 2. c. 11. et 12.

2. Quod jam sodomiam et bestialitatem attinet, superfluum videtur haec vitiorum monstra penitius describere, id quod vel ipsa natura abhorret. Quodsi ergo poenitens de tanto crimine se accuset, vel justam illius suspicionem praebeat, pia cum commiseratione hortandus atque honestis terminis juvandus erit, ut tantam turpitudinem una cum circumstantiis scitu necessariis veraciter exponat; tum autem nihil eorum intermittatur, quae ad animum ab hac nefanda ipsius naturae contumelia deterrendum faciunt. Quidquid §. 305. de turpitudine fornicationis diximus, quodammodo etiam huc applicandum venit. Praesertim talibus ultio divina ad vivum proponatur, quae illis imminet, quamque Sodomitae tam horrendum in modum experti sunt; item moneantur, quid DEUS olim in reos bestialitatis decreverit e. g. Exod. 22, 19.

Et utinam haec flagitia inter Christianos tam rara forent, quam sunt atrocia! Praesertim *sodomia imperfecta* haud infrequenter, et inter ipsos quoque conjuges occurrit, dum vel ad impediendam generationem exemplum impii Onan sequuntur, quem percussit Dominus, Gen. 38, 10.; vel ex mera libidine ad turpissima quaeque inardescunt. Quis vero illos sat detestari poterit, qui adolescentes, imo et pueros rerum adhuc ignaros ad tantum flagitium pertrahunt, atque in omnem vitam corruptos et depravatos faciunt? „*Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris.*“ Matth. 6, 18.

3. Denique etiam hisce flagitiis, ubi *tituli adhuc speciales* violantur, etiam specialis malitia accedit, scilicet nota *adulterii*, *incestus*, *stupri* vel *sacrilegii*, prout supra §. 306. de concubitu naturae convenienti diximus. Insuper in peccato mollitiei plurimum interest, utrum is, qui hanc in semet ipsum turpitudinem exercuit, simul *pravum desiderium* habuerit cum certa persona peccandi, et *qualis persona* isthaec fuerit, quam sibi repraesentavit, utrum soluta, vel conjugata, consanguinea etc.

§. 308.

Continuatio de peccato mollitiei.

1. Inter reliquas foeditates, quibus contra ipsam naturam peccatur, frequentissima est *mollities*, ubi denuo distinguunt inter pollutionem *procuratam* et *admissam*, prouti nempe aliquis vel directe et data opera hunc in finem semet ad libidinem concitavit, vel in magno tentationis aestu aliunde orto in hanc turpitudinem tandem consensit. Absque dubio *mollities directe procurata* prae illa condemnari debet, quae voluntarie quidem, attamen in magno tentationis ardore admittitur. Idem hic obtinet, quod §. 116. de peccatis malitiae et infirmitatis dictum fuit. Sed nihilominus omnis pollutio, qua stimulus venereus voluntarie expletur, suapte indole peccatum grave constituit; est enim turpissimus abusus, quo quis personam suam ceu vile instrumentum ad libidinem extra conjugium sub gravi prohibitam usurpat. I. Cor. 6, 10. Et sane natura ipsa hanc contumeliam sibi illatam lugubriter ulcisci solet. Praecipue haec luxuriae species corporis firmitatem nervorumque vigorem praemature atterit, vires ingenii obtundit, et ipsam ossium medullam exsiccat. Neque rara sunt exempla, ex assuetudine hujus spurcitiae lentam tabem, periculosissimos morbos, epilepsiam, imo et integrarum fami-

liarum extinctionem initium duxisse. Tristissimum est, quod inexperta utriusque sexus juventus ad hoc naturae dedecus admodum facilis sit, atque haec eadem turpitudo semel admissa ex promta semper occasione facillime *in diram consuetudinem*, imo in alteram quasi naturam abeat.

2. Attamen non omnis pollutio, sed illa tantum mollitiei maculam habet, qua quis *voluntarie* stimulo venereo obsecundat, seu quae cum consensu in libidinem admittitur. Quare si cui dormienti, vel etiam vigilanti, attamen sine omni consensu tale quid evenit, talis non de mollitie argui debet, sed nonnisi turpitudinem materialem patitur. Verumtamen exinde haudquaquam sequitur, hujusmodi pollutiones cavendas non esse. Etiamsi enim, quamdiu omnis consensus deest, formalis luxuriae labem haud induant, corpus tamen et animum, ubi frequentius accidunt, valde debilitant, et eum praesertim, qui sui compos talia patitur, praesentissimo in libidinem consentiendi periculo objiciunt. Quare sequentes regulas adjicio:

a) Pollutiones nocturnae, seu quae in somno et absque voluntatis consensu fiunt, *a vitio mollitiei* prorsus immunes sunt, etiamsi fors praevisae fuerint. Quia tamen, ubi crebrescunt, *alia ratione* nocere solent, omnino convenit, ut quantum sine gravi molestia fieri potest, causae illae arceantur, ex quibus talis effectus praevidetur. Absit tamen in rebus innocuis omnis anxietas.

b) Qui sui compos, attamen *secluso omni consensu* pollutionem patitur, a formali luxuria pariter immunis est. Sed nihilominus in praxi plurimum interest, *qua occasione*, et *cur* quis illam experiatur. Cui in exequendo *suo officio* tale quid accidit, e. g. chirurgo, non habet, quod pertimescat, dummodo firma in DEUM fiducia aliisque subsidiis voluntatem suam sufficienter

corroboret, ne consensus sequatur *). Qui vero ex *mera levitate* tali pollutioni ansam praebet, jam exinde gravissimam reprehensionem meretur, quod se in summum consentiendi periculum conjiciat. Cum enim effusio seminis in homine sui compote vehementissimum libidinis sensum sibi conjunctum habeat, qua ratione exspectari potest, talem a consensu sibi temperaturum esse? Quare etiamsi fors consensus denegatus fuerit, generatim tamen ipsa temeritas, qua periculum subierunt, graviter peccaminosa censeri debet. Tales sunt, qui etiamsi libidinem haud intendant, cum sexu altero procaciter nugantur, res pudendas aspiciunt, legunt etc.

A pollutione *distillationem* distinguunt, seu effusionem non seminis, sed alterius humoris illi affinis, et quae plerumque cum minori, vel etiam nullo voluptatis sensu fieri consuevit. Etiamsi hanc intendere vel libidinose in eam consentire haud liceat, omnis tamen anxietas eliminetur, ubi citra intentionem et honestas inter occupationes accidit.

§. 309.

Actus ad luxuriam disponentes.

1. Praesens corruptio hominis summam plane curam et vigilantiam expetit. Pudendus iste ignis decreta etiam fortissima et juratam animi sententiam emollire solet. Omnes tum Ss. Patres tum alii pii scriptores unanimiter hortantur, ut quantum per rationes altiores conceditur, unusquisque *salutem in fuga* quaerat. Ipse *sensus* libidinis solicite caveri debet. Equidem dum rationes officii vel reliqua temporum adjuncta postulant, ut ejusmodi pugnis exponamur; animum semper ad DEUM erectum geramus,

*) Si tamen e. g. chirurgus in pollutiones, quas experitur, frequentius consentiat, erit in occasione proxima. §. 127. et seq.

firmissima fiducia suffulti, quod potens sit „*omnem gratiam abundare facere in nobis.*“ II. Cor. 9, 8. Ast res plurimum diversa est, si quis ex sola *curiositate* vel *sensuum inclinatione* in tale semet discrimen conjicit. Talis sibi frustra de speciali DEI adjutorio blanditur; potius Spiritus divinus expresse dictat: „*Qui amat periculum, in illo peribit.*“ Eccli. 3, 27.

2. Porro hoc in libidinem consentiendi periculum, prout §. 127. de occasione notatum fuit, vel *universim* obtinet, vel *aliquibus tantum* ob singularem eorum infirmitatem lapsum probabiliorem intentat.

3. Tales actus, qui ad libidinem vehementer disponunt, sunt praecipue: Cogitatus et ruminationes circa objecta turpia, lectio librorum, qui talia continent; aspectus rerum inverecundarum; turpiloquia, quae excipiuntur proferunturve; familiaritas cum sexu altero; oscula, complexus atque periculosi tactus etc. Et saepissime quidem sub hisce actibus jam ipsa *libido latet*, ubi proinde non tam ad venerem disponunt, sed potius ignem in animo latentem manifestant; quo in casu *luxuria imperfecta* committitur, prout §. 304. vidimus. Ubi vero ejusmodi actiones non *ex appetitu venereo*, sed *ex alia ratione* descendunt; non quidem libidinosae, attamen ad libidinem disponentes vocari debent. Sub hac igitur consideratione generatim sequentia statuenda videntur:

a) Ejusmodi actus hinc inde sunt *moraliter necessarii*, ubi adeo animus equidem omni modo obfirmari, attamen nulla timiditate concuti debet. E. g. dum confessarius vel medicus vi officii sui turpia legere, auscultare et meditari cogitur, vel dum chirurgus partes pudendas intueri et contrectare debet.

b) Iidem actus aliquando non quidem praecepti, sed *neque prohibiti sunt*, dum nempe ex ratione honesta

fiunt, et periculum libidinosi consensus secluditur; e. g. manuum contrectationes vel oscula, quae ex more *patriae* fiunt.

c) Ast ejusmodi *actus prohibentur*, quoties vel ex delectatione venerea proficiscuntur, vel attentis rerum personarumque adjunctis gravem formidinem secuturi consensus ingerunt, sive *nosmet ipsi* consensuri simus, sive *alii*, qui exinde scandalizantur. Et quidem quo magis talis in libidinem consensus timeri debet, eo cautius ab ejusmodi actibus abstinere jubemur; insuper in dimetienda periculi magnitudine praeter universalem hominum conditionem semper etiam *singularis tum nostra*, tum *aliorum infirmitas* attendi debet.

§. 310.

Continuatio de actibus quibusdam specialibus.

1. Quae modo generatim dicta sunt, jam ad actus nonnullos in specie applicemus. Inprimis de *turpiloquio* et *pudenda scurrilitate*. Huic vitio sane momentum longe majus subest, ac plurimi arbitrantur. Etenim qui turpia proferre amat, hoc ipso depravatum animum et *immunditiem cordis* testatur, quandoquidem „*ex abundantia cordis os loquitur.*" Matth. 12, 34. Tum vero in semet ipso non minus, quam in aliis *sensum pudoris*, hoc firmissimum integritatis munimen subvertit ac destruit; unde irrumpenti libidini jam facilis accessus panditur. Denique neminem latere potest, quot *scandala* inde oriantur, dum per ejusmodi verba salacia phantasia turpissimas imagines concipit, stimulus venereus irritatur, et nefandorum flagitiorum horror sensim abstergitur. Praesertim res est luctuosissima, si juventus adhuc incorrupta talia auribus usurpat, sicque pudendas illecebras, quas hucusque feliciter nescivit,

pessime edocetur. Quam ob rem jubet Apostolus: *„Omnis immunditia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos; aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quae ad rem non pertinet.“* Eph. 5, 3. etc. *). Idem fere de rerum lubricarum *lectione* obtinet, ex qua nostris praecipue temporibus juvenili innocentiae ingens strages infertur. Quid enim aliud plerique poëtarum, qui tam avide lectitantur, exhibent atque commendant, nisi amores et venerem? *„At vero in ejusmodi libris non delectationem ex rebus obscoenis, sed acumen ingenii, sed concinnitatem sententiarum, sed verborum nitorem, sed orationis munditiem et elegantiam quaeris? O miserum oratorem, qui nonnisi ex fontibus coenosis repetere sermonis munditiem novit, et aurum quaerit in luto! O caecum hominem, qui vel se a communi naturae humanae corruptela exemtum judicat, vel non animadvertit, quae obscoena sunt, quantumcunque ingeniosa sint, plus moribus nocere, quam ingeniis prodesse.“* J. Malsiner.

2. Quod *aspectus* attinet, illi, qui citra necessitatem, sed ex sola sensus prurigine partes alterius sexus verendas, quasque pudor obtegi imperat, aspiciunt, tum nudas tum nonnisi leviter tectas; utique per hanc ipsam oculorum petulantiam, quales sint, sat manifestant. Atvero dum quis personas alterius sexus honeste tectas oculo nonnihil liberiori perlustrat, interest, quo animo id faciat, simulque

*) Singularem reprehensionem *homines conjugati* merentur, dum posita verecundia coram aliis salaciter jocantur. Quid vero de *effronte sacerdote* dicemus, qui inter laicos, fors ipsas inter feminas lingua sua, quae quotidie Christi sanguine rubescit, tali modo abutitur? Illud denique addendum, plurimum interesse, *quot, et cujus aetatis, sexus ac conditionis* homines talia verba exceperint, quippe cum exinde scandalum augeri, et multiplicari soleat.

ratio tum periculi tum scandali habenda est. „*Ego autem dico vobis: Quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo.*“ Matth. 5, 28. Etiam picturae et statuae, saltem quae personas grandiores obscoene exhibent, stimulum genitalem plerumque valde irritant; unde etiamsi sub earum intuitu prava concupiscentia haud lateat, cave tamen, ne exinde in praesens corruptionis discrimen conjiciaris.

3. Pari modo *tactus, amplexus* et *oscula*, ubi venereo cum affectu exercentur, jam ipsam luxuriam involvunt.

§. 304. Quodsi talia seclusa prava concupiscentia tantummodo pro more patriae, urbanitatis causa, vel ex affectu honesto fiant, eatenus quidem culpa vacant, dummodo omne quoque aliorum scandalum vel notabile in libidinem consentiendi periculum secludatur. Et illi quidem, qui in personis tum diversi tum ejusdem sexus *absque vera necessitate* tactus *valde obscoenos*, praesertim in nudo corpore pertentant vel admittunt, a peccato gravi excusari certe nequeunt, utpote quorum prava affectio tam pudendum in modum se prodit. Eadem fere distinguenda veniunt, dum quis *proprium corpus* impudice tractat; ejusmodi aspectus vel tactus aliquando ex necessitate, vel certe solida ratione, aliquando autem ex animi levitate vel etiam hebetudine, vel denique ex prava concupiscentia descendunt, cujus plures iterum gradus dantur. Ubi ejusmodi tactus equidem sine libidinoso affectu, sed simul absque necessitate in proprio corpore fiunt, denuo periculum ulterioris consensus attendatur, in quod quis pro nota sua infirmitate voluntarie se conjicit. Praecipue incautae juventuti omni modo inculcandum est, ut DEI Angelique tutelaris memor, quidquid pudorem atque decentiam offendit, singulari studio declinet.

Quare contrectatio etiam levissima, qua quis e. g. feminae manum premit etc., si vel ex *venerea delectatione*, vel cum

gravi ejusdem periculo fiat, culpam absque dubio gravem involvit, nisi defectus deliberationis vel advertentiae fors reatum imminuat. Juvat quoque huc transscribere sententiam ab Alexandro VII. damnatum. „*Est probabilis opinio, quae dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis.*“

4. Quodsi vero actus singuli, quos modo recensuimus, tantum periculi afferunt, quis non perspicit, quantum *amores illi* timendi sint, quibus homines diversi sexus sibi agglutinantur? Exinde enim corda mollescere, phantasia vero et pruritus animales vehementer accendi solent, adeo ut serius aut citius nonnisi turpissimi lapsus timendi sint. Quare animarum pastor incautam juventutem omni, quo potest, modo ab ejusmodi familiari consortio dehortari et abstrahere conabitur, praesertim ubi nulla, vel ambigua tantum et remota honesti matrimonii spes affulget. Illis vero, quibus solida contrahendi matrimonii spes est et intentio, energice commendabit, ut tum integritati tum famae suae eo sollicitius invigilent, quo pluris interest, ut tanti nominis Sacramentum non indigne suscipiant.

Gravissimae in hac causa deceptiones dantur, dum vel nupturientes jam nunc plura sibi concessa esse arbitrantur, vel nuptias cogitant, quarum tamen nulla spes illis relinquitur; vel, dum impius procus credulam puellam fictitia illam ducendi promissione ad turpitudinem pertrahit. Hinc inde etiam amorem suum nonnisi *honestum*, seu platonicum dicunt, utut revera a venere ortum ducat. Periculum istud ipsi quoque sacerdoti, praecipue juniori sollicite cavendum est, ne scilicet obtentu singularis innocentiae, pietatis etc. erga personas alterius sexus molliculum affectum admittat. Sensus iste, inquit Oberrauch, ultra omnem opinionem astutus est, et periculosus admodum, utpote qui nedum ex re turpi, sed etiam ex ratione honesta non raro acrior evadit.

§. 311.

Num in his peccatis detur parvitas materiae.

1. Nunc facile respondemus, utrum in his peccatis detur *parvitas materiae*. Scilicet distinguendum est inter ipsam *veneream delectationem* et inter *actus ad illam disponentes*. Itaque si sub qualicunque actione *morosa delectatio*, vel consensus in actum turpem latet, peccatum semper grave committitur, utpote quod non tam in actu externo, sed potius in depravata voluntate residet. §. 111. Unde facile patet, fieri posse, ut vel nutus aut levissima contrectatio ob pravam et graviter peccaminosam animi intentionem, quae tali signo manifestatur, gravis quoque peccati reatum sibi annexum habeat. Dum enim de *culpa* quaeritur, non tam refert, quid agas, sed *magis, quid velis;* atque in homine corrupto actiones illae plerumque aliud non sunt, quam scintillae, quas feralis luxuriae rogus identidem evomit.

2. Quantum vero ad illos actus, qui ad libidinem disponunt, siquidem omnis tum morosa delectatio tum consensus absit, omnino datur parvitas materiae, si nempe periculum, quod timetur, *grave non sit.* Caveatur tamen omnis temeritas, quia in hoc puncto fragilitas fere omnium magna, et quorundam prorsus singularis est, eorum praecipue, qui olim huic vitio assueti erant.

3. Demum in *consideratione subjectiva* communes iterum regulae imputationis obtinent. Et quidem in hominibus pie affectis facile concessero, saepe fieri, ut ubi sibi de morosa delectatione vel de praestito consensu timent, nonnisi vehemens tentatio illos perterrefecerit. Praesertim illi a noxa gravi excusari debent, qui, dum in magna sensuum perturbatione vel semisopiti aliquid passi sunt, redeunte animo mox iterum pro viribus restiterunt.

§. 312.

Castitatis servandae media.

1. Si unquam, certe in hac causa monitum divini Redemtoris menti nostrae infixum maneat: „*Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promtus est, caro autem infirma.*“ Matth. 26, 41. Ad hanc *vigilantiam* praecipue spectat: *a)* Custodia *sensuum exteriorum*, per quos, ut Propheta inquit, mors quasi per fenestras ascendit. Jer. 9, 21. In quantam perniciem unicus obtutus invictum hucusque Davidem conjecit! Absit tamen omnis ridicula timiditas. *b)* Justa refrenatio *imaginationis*, ne vel nimium incalescat, vel omnino repraesentationibus lubricis impleatur. *c)* Moderata severitas quoad *victum et cultum* corporis. Nam quo mollius lautiusque corpus fovetur, eo plures quoque libidini faces subjiciuntur. Praesertim largior potus stimulos venereos vehementer accendit. Quid demum illi timendum est, qui semet inebriare solet? Quomodo castus erit, qui officium sobrietatis negligit? *d)* Denique *fuga eorum*, quae ad luxuriam valde alliciunt; hujusmodi sunt: pravum consortium, liberior et familiaris conversatio cum sexu altero, turpis confabulatio, lascivientes libri, comoediae, choreae etc.

2. Praeter vigilantiam divinus Redemtor multam *fervidamque orationem* commendat. Huc spectat: *a)* Frequens ruminatio ultimi finis nostri, quatuor novissimorum aliarumque veritatum, quibus animus ad sectanda charismata meliora urgetur; *b)* viva et continua recordatio tum DEI ipsius, in quo vivimus, movemur et sumus, tum etiam Angeli, qui ad tutelam nostram deputatus fuit; *c)* denique dici vix potest, quantum frequens et devotus usus Sacramentorum, poenitentiae nempe et Eucharistiae ad donum castitatis servandum recuperandumve conferat. Lectu dignis-

sima sunt, quae Oberrauch Tom. IV. §. 1331. et seq. in hanc rem ait: „*Omnium maxime coelesti hoc robore indiget juventus sui incuria, et aetatis suae levitate simul et ardore lapsui propinqua.*"

3. Aliud remedium non tantum utilissimum, sed prorsus necessarium est *humilitas* conjuncta cum *invicta in DEUM fiducia.* Verissimum est, quod ajunt, nempe saepe fieri, ut DEUS occultam superbiam et nimiam confidentiam de semet ipso per apertam luxuriam puniat. Quem in finem S. Hieron. ad Nepot. scribit: „*Nec in praeterita castitate confidas. Nec sanctior Davide, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quod paradisi colonum de possessione sua mulier ejecerit.*"

4. Quantopere *pudor naturalis* necessarius sit, jam saepius innui. Hinc praesertim parentibus et moderatoribus aetatis tenerae enixe commendandum est, ut quidquid pudorem laedit, sollicite eliminetur. Ipsos gentiles non latuit, *maximam puero reverentiam deberi**). Quae sint cavenda, ne juventus per homines lascivientes directe corrumpatur, ars paedagogica exponit.

5. Denique, ut alia complura omittam, etiam *vita laboriosa* et sedulo occupata morum integritati egregie consulit, prout vicissim, qui otio torpet, facile subverti solet. Praesertim in ipso tentationis aestu mens vel sursum erigenda, vel alio honesto cogitatu distrahenda, et si fieri potest, etiam corpus ipsum apto labore exercendum est, prout in Ascesi fusius dicetur.

*) Juvenal. Sat. 14.

Caput IV.

De honesto usu gaudiorum.

A.

Principia generalia.

§. 313.

Utilitas gaudiorum.

1. Quemadmodum protoparentem nostrum, ita et nos omnes tremenda illa sententia involvit: „*Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae. Spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbam terrae. In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumtus es; quia pulvis es, et in pulverem reverteris.*“ Gen. 3, 17. etc. Quare certe non eum in finem hanc terram occupamus, ut non intercepto cursu omnis generis deliciae nobis affluant; sed potius ut multo cum labore et inter atrocissimas pugnas ad patriam aeternam contendamus. Attamen aliquo sensu etiam huc illud Psalmistae transferre licet: „*Misericordia et veritas obviaverunt sibi; justitia et pax osculatae sunt.*“ Psalm. 84, 11. Quamvis in exilium ejecti, DEUM tamen quotidie benignissimum experimur, qui aerumnas nostras intermixtis gaudiis lenit ac mitigat. Et quidem ea gaudia, quae ex cognita veritate, ex conscientia recti atque ex filiali DEI amore *in mentem nostram* redundant, jam §. 275. indigitata fuerunt. Verum etiam sensibus inferioribus in hac terra uberrimus gaudiorum fons scaturit.

2. Quapropter errant, qui hominem generatim ad vitam tetricam et amarulentam condemnatum volunt, atque haec opinio studium pietatis non paucis exosum reddit.

Dantur quidem *voluptates prohibitae*, quae vel officiis altioris ordinis repugnant, vel absolute interdicuntur, prout paulo ante de voluptate venerea extra legitimum conjugium ostensum fuit. Sed aeque certum est, dari quoque plurima oblectamentorum genera, quae virtutem christianam adeo non dedecent, ut illam potius insigniter promoveant; sic etenim vires nostrae lassatae recreantur, et novum vigorem acquirunt; erga DEUM ipsum affectus gratitudinis et filialis charitatis excitatur; demum etiam in alios obsequia piae benignitatis ac fraterni amoris conferri possunt. Imo hae eaedem rationes, praesertim quae ex necessaria virium nostrarum restauratione atque ex charitate fraterna descendunt, moderatum gaudiorum usum non tantum concedunt, sed jubent etiam. Etenim arcus nimium tensus frangitur. Pari modo genius fraternae charitatis jam suapte indole exposcit, ut alios justos intra limites exhilarare, atque honestis eorum votis condescendere studeamus.

3. Ast, prout §. 266. de continentia generatim diximus, absit, ut caecum naturae impetum sequamur. Potius pruritum illum, quo in oblectationes ferimur, ita moderari oportet, ut tum selectio tum ipse earum usus rectae rationi, vel potius divinae voluntati apprime conveniat; id quod nunc paucis exhibebimus.

§. 314.

Justa gaudiorum selectio.

1. Per se patet, eas tantum oblectationes admittendas esse, quae nulli altiori officio adversantur. Quare non solum caveri debent, quae vel pudori, vel sanitati, vel regulis justae parsimoniae, vel charitati fraternae, et cui demum cunque alteri officio opponuntur, sed etiam illa, quae *propinquum graviter peccandi periculum* involvunt. Atque in applicatione hujus regulae praeter universalem hominum

conditionem justa iterum ratio habeatur, quid tum nostra tum aliorum *infirmitas specialis* deposcat. Eadem oblectatio aliis fors innocua, tibi vero periculosissima esse potest. Pari modo fieri solet, ut certa oblectamenta, etiamsi ab homine laico usurpata neminem offendant, cum *dignitate tamen sacerdotali* maxime collidantur, et plurimos scandalizent; e. g. tripudia et saltationes, ludi, qui publice instituuntur etc.

Scilicet saepissime, quae in ore laicorum nugae videntur, sunt in ore sacerdotis blasphemiae. Unde summa sollicitudo requiritur, ut prout reliqua nostra vivendi ratio, ita et refocillationes, quibus indulgemus, nunquam non gravitatem clericalem prae se ferant. Quapropter decreta nostra synodalia severe prohibent, ne clerici nisi necessitate itineris, vel aliis casibus necessariis excusati publicas cauponas frequentent, neve ad convivia nuptialia facile accedant. In illos vero, qui vel publice et cum scandalo inebriati fuerint, vel qui choreas ducunt, item qui noctu vel interdiu per plateas aut domos larvati incedunt, vel qui denique ad choreas aut spectacula mimica chorum musicum juvant, gravis mulcta decernitur.

2. Sed praeterquam quod oblectationes officiis altioris ordinis nunquam derogare debeant, tales simul seligantur, quae rationibus nostris prae reliquis conveniunt, seu quibus tum filialis erga DEUM pietas, tum virium nostrarum restauratio, tum demum dilectio fraterna vere promovetur. Quare quo plures fines honesti per certum oblectamenti genus simul obtineri possunt, eo magis illud ceteris praeferri meretur.

Et siquidem *nihil inhonesti vel periculosi* occurrat, nullumque exinde scandalum timendum sit, charitas fraterna suadet, ut aliorum potius genium sequamur, quam proprium. Haec propriae voluntatis abnegatio materiam insignis meriti praebet. Insuper cavendum est, ne per frequentiorem certae

oblectationis usum nimio affectu in illam rapiamur, vel ne ex frequentatis actibus habitus inolescat. Quem in finem suadent, ut e. g. non unum semper eundemque lusum repetamus, sed ut inter oblectationes etiam honestas aliqua vicissitudo statuatur. Non inepte verba Apostoli huc transponimus: *„Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate."* I. Cor. 6, 12.

§. 315.

De ipso gaudiorum usu.

1. Etiamsi oblectationes nonnisi honestae et utiles adhibeantur, summa tamen indignitas foret, si mens nostra earum dulcedine inescata affectu suo in illas desineret. Absit, ut has caducas voluptates ceu summum bonum et ultimum finem nostrum complectamur; sed, prout reliqua bona creata, ita mundana quoque gaudia subsidiorum instar haberi debent, quibus ad optatum terminum pertingere possimus.

2. Praeter justam intentionem animi requiritur, ut ratio omnem gaudiorum usum ad normam recti moderari pergat. Sensus enim, ubi eidem nonnihil indulgetur, facile evagari solet, ita ut limites honestatis transiliat, et ratione temporis, modi, mensurae, sumtuum aliarumque circumstantiarum impingat. Ast quis nescit, quam grave hoc non intermissum rationis moderamen plerisque esse consueverit? Etiam in hac causa plurima peccata inadvertentiae dantur, quae, etiamsi in hominibus saltem probis plerumque nonnisi levia sint, profectum tamen spiritualem multum retardant. Atque exinde iterato vitam moderate severam et nonnihil austeriorem suadent, ut scilicet, quantum per rationes altiores licet, interdum etiam a gaudiis concessis abstineamus, ne, dum habenae laxantur, sensus inferior ferocire praesumat. Denique ad tuendam animi libertatem medium

peropportunum est, ut ipsas inter oblectationes *DEI frequenter memores* simus, *gaudentes in Domino*, ut Apostolus jubet, et quaecunque bona cum *gratiarum actione percipientes*.

B.

Censura specialium quorundam oblectamentorum.

§. 316.

Amica conversatio cum aliis et convivia.

1. Non incongruum esse videtur hoc loco quaedam oblectationum genera prae reliquis usitata ad regulas praemissas exigere. Et primo quidem vix datur quidpiam, quod animum magis recreare consueverit, quam *amica conversatio* cum aliis, siquidem tales sint, ut eorundem allocutio et consilium cordis moestitiam lenire vel etiam ut illorum ingenium nos ad honestam laetitiam excitare queat. Talis conversatio etiam compluribus aliis rationibus commendatur, maxime, ut Kempensis inquit, *ubi pares animo et spiritu in DEO sibi sociantur.* Quanta commoda e. g. exspectari possent, si sacerdotes, qui eandem vel contiguam vineam colunt, saepius consilia sua conferre, semet per eam, *quae invicem est*, fidem consolari, vel etiam animum defatigatum honeste et secluso quocunque scandalo reficere studerent? Verum nisi cauti admodum, et in nostri abnegatione exercitati simus, etiam ex hac cum aliis familiaritate plurima pericula imminent. Quapropter

a) inprimis *vide, cui fidas*, seu cujus familiaritate utaris. Etenim nihil pronius, quam ut sociorum, quibus jungimur, una cum halitu etiam spiritum et mores trahamus. §. 178. Speciales cautelas conversatio cum sexu altero deposcit. „*Non sis familiaris alicui mu-*

lieri; sed in communi omnes bonas mulieres DEO commenda." De imit. l. 1. c. 8. Et alius vir piissimus monet: „*Familiare hoc est multas praetexere excusationes necessitatis, consuetudinis, purae intentionis etc.; sed latitant sub specie boni ingentia mala. Inde enim prosiliunt nociturae libertates, incauta colloquia, gestus leviores, modestiae neglectus, crebra munuscula, et quaedam hilaritudines, quibus paulatim deponitur pudor, et tota demum exuitur verecundia.*" Card. Bona.

b) Sed etiamsi ex parte sociorum nihil timendum sit, ipsa tamen conversatio facile exorbitat, nisi nobismet ipsis rite invigilemus. „*Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.*" Jac. 3, 2. Hinc dixit quidam: „*Quoties inter homines fui, minor homo redii.*" Et exinde idem Kempensis infert: „*Facilius est domi latere, quam foris se posse sufficienter custodire.*" L. 1. c. 20. Attamen haec ita dicta sunto, ut amicam cum aliis conversationem neutiquam condemnemus; nam et solitudo suis non caret reticulis. Id unum asserimus, multam circumspectionem et virtutem requiri, ne ex mundano consortio reddamur deteriores.

2. Quantum ad *convivia*, si rationi convenienter instruantur, illa homini christiano certe non prohibentur, quippe quae et animi hilaritati et nectendis mutuae charitatis vinculis praeclare inserviunt. Unde et Christus ipse iisdem assidere dignatus fuit. Ast, ut rationi conveniant, requiritur *a) honesta ratio*, ut non ex mera ostentatione vel sensualitate descendant, et *b)* ut in ipso *convivii apparatu atque consessu* nihil occurrat, quod officiis altioribus adversetur.

Immoderatum circa convivia luxum vir praeclarissimus, Cardinalis Bona ita perstringit, vel ridet potius: „*O vilissimam ventris servitutem! O inexplebilem cupiditatem! Modicum tibi corpus natura praebuit; vincis tamen vastissimorum et edacissimorum animalium voluptatem. Taurus paucorum jugerum pascuis impletur; una silva plures nutrit elephantos; tibi angustus est orbis; non sufficit ventri tuo, quidquid volat in aëre, quidquid natat in undis, quidquid latet in silvis. Aspice potentum culinas, et concursantes inter tot ignes coquos; vide servorum et ancillarum sudantem cohortem; vide stragem animalium et natantia vino penuaria; observa, quanta solicitudine argentum ordinant pueri, quanta arte disponunt fercula, inferunt patinas, scindunt aves; quanta celeritate discurrunt ad ministeria. Vix credes, unam esse domum, cui tot consulum et regnorum vina promuntur, cui mensae tanto tumultu apparantur.*“

§. 317.

De choreis et saltationibus.

1. Saltationes ad numeros modosque musicos comparatae, praeterquam quod mentes exhilarent, etiam, si rite instituantur, ad corporis tum sanitatem tum compositionem externam plurimum conferre possunt. Ast plerumque latet anguis in herba. Etenim hac occasione utriusque sexus juvenes conveniunt, et jam ipsa conveniendi ratio illos ad majorem licentiam disponit; uterque sexus sibi mutuo lenocinatur; quocunque oculos vertunt, petulantiae procacitatisque illis exempla obtruduntur; musica, tempus nocturnum aliaeque tum temporis tum loci circumstantiae, tum vero potus inebrians, et familiaritas marem inter et feminam tum phantasiam tum sanguinem vehementer accendunt; quam pronum est ergo, ut saltem morosa admittatur delectatio! Quid praesertim de illis timendum, qui jam antehac libidini saepius indulserunt? Equidem haec pericula

aliquantum extenuantur, ubi parentes aliive honesti homines praesto sunt, qui juveniles licentias auctoritate sua coërceant; et praesertim ubi nonnisi inter *homines cultiores* saltationes habentur, quos, utpote sobrietati atque decentiae assuetos, si minus religio, saltem respectus humanus a lascivia retrahit. Quae vero non timenda sunt, ubi homines inculti, procaces, et largiori potu incalescentes, vel omnino ebrii sibi sociantur, qui nulla erga se invicem reverentia coërciti stimulo animali vix non omnes habenas laxant, et postmodum sera nocte saepe per devia e pago remoto domum redeunt?

2. Ast praeter luxuriam etiam alia peccata quasi turmatim ex hac arena procedunt; nimirum luxus quoad vestitum et indecentem ornatum corporis; vesana zelotypia, quae non raro in mutuas offensiones et cruentas rixas prorumpit; gula et ebrietas, destructio sanitatis, bonorum profusio, domestica furta, profanatio dierum sacrorum, innumera scandala etc. Unde aliquis ex Ss. Patribus saltationem definit, esse circulum, cujus centrum diabolus tenet.

3. Qui chorearum patroni ad S. Franc. Sal. provocant, meminerint, quid S. praesul de iisdem doceat. Inprimis tum solummodo choreas admittit, ubi prudentia et pia discretio suadent, ut votis aliorum concedamus; tum vero monet, ut id raro tantum, ex honesta semper ratione et cum viva DEI praesentis vel novissimorum memoria fiat; denique generatim asseverat, choreas quascunque *fungis* non absimiles esse, qui utcunque scite cocti plus noceant, quam prosint, praesertim nisi *parce admodum* et *in stomachum sat validum* transmittantur.

4. Aliqui choreas etiam obvias exinde tuentur, quod satius sit juventutem publice, quam clandestine genio indulgere. Ast per has publicas oblectationes conventus clandestini non impediuntur, sed promoventur potius. Quo

frequentius juvenis aliquis amasiam suam ad choreas ducit, eo saepius quoque solus cum sola versabitur, atque eo magis illam ad turpissima quaeque obsecundantem habebit.

§. 318.

De ludis scenicis.

1. Quodsi ludi scenici ad leges honestatis rite exacti forent, praeter animi remissionem etiam non pauca commoda inde exspectari possent; scilicet cultura animi et sermonis, major agendi dexteritas, vitiorum horror, et affectus ad virtutem quodammodo conducentes. Verum quae non timeri debent, ubi spectacula vel *virtutem spuriam*, vel omnino *aperta vitia* commendant? Atque hi abusus vix unquam abesse solent; ut enim ejusmodi ludi spectatores alliciant, iisque placeant, ea tantum spectanda exhibentur, quae genio mundano et sapientiae mere carnali arrident. Cumque mundus Evangelio semper adversetur, fieri consuevit, ut fabulae, quae aguntur, plerumque in solam sensualitatem et superbiam desinant. Praesertim stimulus ex omnibus vehementissimus, quo scilicet alter sexus in alterum fertur, omni modo succendi solet, adeo ut nihil oblectet, nisi quod libidinem sapit. Imo affectus vindictae, turpes amores, fraudes et perfidia, autochiria aliaque crimina non raro sub specie virtutis comparent; vel etiamsi ad detestationem proponantur, ita tamen exhibentur, ut spectantes illa non tantum addiscant, sed plerumque etiam probent. Quodsi ergo *sola lectio* talium fabularum, quas romanenses dicimus, plurimum nocet, quid fiet, ubi eaedem ad vivum repraesentatae spectantur? Quam vehementer tum phantasiam tum pruritum animalem accendi necesse est, ubi tot circumstantiae concurrunt, scilicet praeter ipsius poëmatis elegantiam scena artificiose coruscans, emolliens tum vocum tum instrumentorum concentus, hi-

strionum, mimarum praecipue lasciviens habitus et procacitas, perstrepens adstantium plausus etc.

2. Et haec quidem de ludis scenicis obtinent, qui in urbibus exhibentur. Ubi rure tales instituuntur, equidem hucusque nonnisi spectacula religiosa, et insuper non de nocte, sed tempore pomeridiano edi consueverunt. Sed praeterquam quod per haec spectacula tum in ipso loco, tum in vicinia cultus divinus et christiana institutio multum defraudentur, tot etiam abusus et morum corruptelae inde resultant, ut pastores animarum de illis nonnisi dolere possint. Etenim *actores ipsi* exinde vanae ostentationi, petulantiae, ebrietati aliisque vitiis assuefiunt; ex *numero autem spectantium* plurimi hac occasione corrumpuntur, dum praecipue utriusque sexus juventus liberius sibi indulget, finita comoedia ad tabernam devertit, et tum ibidem tum in reditu plurimis peccandi periculis exponitur. Revera plerumque nonnisi *caupones* sunt, qui ejusmodi ludos commendant et urgent; quare jam exinde res valde suspecta redditur.

§. 319.

De lusibus.

1. Inter reliquas oblectationes *lusus* eminent, dum scilicet ad mentem refocillandam vel fortuitos certae actionis eventus exspectamus, vel alios arte et sagacitate juxta statutas regulas vincere contendimus. Unde lusus in *fortuitos*, *artificiales* et *mixtos* dispescunt. Et quamvis lusus ex natura sua non ad lucrum, sed nonnisi ad delectationem comparati sint, plerumque tamen vincenti aliquod praemium vel pretium statuitur, ne scilicet lusus ipse frigescat.

2. Quare lusus suapte indole nihil inhonesti continent, sed multum conferre possunt tum ad vires defatigatas re-

ficiendas, tum etiam ad fovendam fraternam charitatem, dum nempe ad aliorum vota amice descendimus, atque eos hoc modo exhilarare studemus. Imo in familiari hominum consessu per honestum lusum plurima *mala arceri possunt*, e. g. detractiones, dissidia etc. Verum ne lusus degeneret, absit, quidquid officiis altioribus adversatur, dum e. g. vel cultui divino aliisve gravibus negotiis tempus surripitur, vel major pecuniae summa fortuito casui exponitur, unde tum nostra tum aliorum res familiaris periclitatur; vel dum aliis scandalum creatur etc.

Lusus, qui a sola fortuna pendent, praesertim ubi iisdem majores summae exponuntur, per leges positivas clericis, imo et laicis sunt interdicti. Generatim sacerdotem etiam quoad hoc oblectationis genus cautissimum esse oportet; qui enim lusum justo plus amat, muneri suo certe multoties deest, et in multas vitiorum tendiculas incidit. Quantum porro laicis movetur scandalum, ubi pastorem suum lusui adeo inhiantem cernunt! Praesertim ille tum famae tum conscientiae suae pessime consulit, qui in publica taberna cum hominibus plebejis chartas miscet, illosque lusuum socios adhibet.

3. Verum etiamsi lusus ipse, qui instituitur, leges honestatis haud offendat, unusquisque tamen sibimet iterum sollicite invigilare debet, ne hac occasione sinistro aliquo affectu in transversum agatur, e. g. ira et indignatione, quae non raro in mutuas offensiones et in ipsas blasphemias prorumpit, vel dum simul largiori potui indulgetur etc.

Haec pauca in praesenti articulo nonnisi obiter de lusu dicuntur. Plura occurrent in tractatu de jure et justitia, eoquod lusus revera aliquod pactum involvit, unde gravissimae non raro quaestiones circa officium restitutionis enascuntur.

Caput V.

De justa applicatione virium nostrarum.

A.

De eligendo certo statu.

§. 320.

Momenta hujus doctrinae.

1. Divinae paginae societatem hominum cum humano corpore aequiparant. I. Cor. 12, 12. etc. Quare prout corpus nostrum multa membra habet, et unumquodque eorum locum a Creatore sibi assignatum occupat, ita et nos in utraque republica certam stationem tenere ibique officiis nostris rite defungi jubemur. *„Si enim totum corpus oculus, ubi auditus etc.?“* Hunc in finem DEUS ipse vires et facultates hominum ita distribuit, ut unusquisque nostrum ad quaedam tantum, nullus vero ad omnia sufficiat. *Unus quidem sic, alius vero sic.* Cum igitur communem destinationem nostram junctis fraterne viribus promovere debeamus, res est neutiquam arbitraria, *quo loco* et *qua ratione* unusquisque ad bonum commune cooperetur; sed illum quisque locum occupet, ubi ejusdem opera prae reliquis necessaria vel certe utilis fuerit. Porro cum divina providentia rebus etiam minutissimis suum cuique tempus et locum assignaverit, ita ut ne unus quidem passer sine Patre nostro super terram cadat, cumque omnes capilli capitis nostri numerati sint, Matth. 10, 29. etc.; quis diffitebitur, unicuique nostrum etiam certam activitatis spartam injunctam esse, quam nos ex DEI ipsius voluntate

implere oporteat? *) Atque hanc ipsam DEI voluntatem sufficienter cognitam, vel etiam statum ipsum divinitus nobis assignatum *vocationem* dicimus.

2. Quae cum ita sint, ad prima nostra officia spectat, ut in vocationem nostram justa cum diligentia inquiramus. Ex hac enim certi status electione tum sors nostra temporalis, tum ipsa quoque aeternitas pendere solet. Qua ratione munus a DEO tibi injunctum adimplebis, si locum illum haud teneas, quem tibi providentia divina assignavit? Hucusque quasi in ancipiti haeseras; ast nunc, ubi certum statum eligis, vires tuae definitum, quod percurrant, stadium nanciscuntur; quale igitur primum punctum fuerit, talis ex eo etiam linea producetur. Non minus *aliorum* interest, ut suam quisque vocationem sequatur. Quae enim humanae societatis conditio foret, si non attenta vocatione divina unusquisque nonnisi coecum naturae impetum sequeretur! Unde et illos severum certe judicium manet, qui cum summa animi levitate ideo tantum certam vivendi conditionem amplectuntur, ut ibidem liberius sibi indulgeant.

§. 321.

Regulae in hoc negotio servandae.

1. Vocatio vel *ordinaria* vel *extraordinaria* dicitur, prout nempe DEUS aliquem vel per media consueta, vel

*) Attamen lubens concedo, hanc vocationem ad certum vitae genus, e. g. ad statum sacrum interdum non rigidum praeceptum, sed nonnisi *consilium* de bono meliori involvere. Quapropter ubi rationes praeponderantes aliquem ad certam vivendi conditionem urgere videntur, circumstantiae singulares attendi debent, ut dispiciatur, utrum vocatio isthaec *moraliter necessaria*, an vero tantum *consulta* censeri debeat.

immediate atque per signa extraordinaria ad certum munus accersit, cujus vocationis in utroque Test. plurima exempla occurrunt, v. g. de Prophetis et Apostolis; inter alia: „*Dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumsi eos.*“ Act. 13, 2. Sed prout generatim notam temeritatis incurrit, qui absque solida ratione neglectis causis intermediis a DEO aliquod miraculum exspectat, §. 190., ita quoque in electione status impium foret omissis subsidiis ordinariis specialem DEI impulsum opperiri. Pariter in tanto negotio non licet ad *sortilegia* confugere; id enim apertam DEI tentationem involveret.

Quae Act. 1, 23. et seq. de electione Matthiae referuntur, huc applicari non possunt, eoquod DEO ipso inspirante et simul in electione virorum, quorum uterque probissimus erat, gesta fuerint. Etiam illae sortes, quae nostra aetate ad conscribendos milites adhibentur, ab omni DEI tentatione immunes sunt.

2. Sed etiam vocatio ordinaria in *externam* et *internam* dividitur. Vocatio externa per rerum temporumque circumstantias determinatur, in quibus vivimus; dum nempe per conditiones externas vel ad statum aliquem adigimur, vel dum nonnisi unica vitae conditio nobis ineunda relinquitur. Atque hoc vocationis genus prae reliquis frequens esse solet.

3. Vocatio interna ad indolem, vires atque dotes nostras refertur, quibus ad statum aliquem praecipue adaptamur. Et jam, ubi inter plures vitae conditiones libera nobis optio datur, sequentes potissimum regulae attendi debent:

a) Inprimis tantum negotium cum justa *animi intentione et sinceritate* aggredi oportet, ut adeo nihil aliud expetamus, quam cognoscere adorandam DEI volunta-

tem, cognitamque promte exequi. Non acquiescere carni et sanguini, sed id unum sciscitari decet: „*Quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam.*" Matth. 19, 16.

b) Tum vero firma et filiali cum fiducia *ad patrem luminum* confugiamus, ut notam nobis faciat viam, in qua nos ambulare oportet. „*Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a DEO, qui dat omnibus affluenter, et non improperat: et dabitur ei. Postulet autem in fide nihil haesitans.*" Jac. 1, 5.

c) Denique in negotio tam gravi et delicato nullus *sibi soli* confidat, sed adhibeantur consilia et monita viri, qui tum prudentia tum solida pietate conspicuus sit. Paulus ipse a Christo ad Ananiam missus fuit, ut disceret ab eo viam vitae. Multo magis igitur convenit, ut juvenis rerum inexpertus et in ancipiti haerens manu adjutrice utatur, quae ostendat pericula, insidias detegat, atque viam ipsi prae reliquis accommodatam designet. Ut vero adlecti arbitri consilia deliberanti vere proficiant, opus est, ut eidem tum sensus et affectus, dotes et propensiones suas, tum etiam res et circumstantias externas, et quidquid praesens negotium attinet, candide fiducialiterque pandat. Hunc in finem universalis peccatorum naevorumque confessio ad arbitri pedes, siquidem sacerdos sit, deposita egregie inserviet, tum ut interiora clientis magis perspecta habeat, tum quoque ut deliberans superna illustratione dignior reddatur.

§. 322.

Continuatio.

1. Quae in ipsa deliberatione praecipue attendi debent, sunt tum res et circumstantiae externae, tum dotes, naevi

et propensiones deliberantis. Et quidem quoad circumstantias externas dispiciendum erit: *a)* Quaenam vitae conditiones ipsi pateant, ita ut solida spes sit, eum ad hunc illumve statum feliciter perventurum esse; *b)* ubinam attentis temporum locorumque adjunctis opera ipsius prae reliquis necessaria vel saltem utilis futura videatur.

Cave tamen, ne ex majori utilitate, quae e. g. ex sacerdotio refulget, mox inferas: „*Ergo ad capessendum statum sacrum obligaris.*“ Nam saepissime illud Apostoli obtinet: „*Praeceptum Domini non habeo, consilium autem do.*“ I. Cor. 7, 25.

2. Quantum ad *dotes et naevos cuique proprios*, necessario quaeritur, utrum exequendis certae conditionis officiis supportandisque ejusdem oneribus par sit; vel saltem, utrum solida spes affulgeat, fore, ut sedulo labore et industria *ad negotia saltem graviora* status sufficiat; idque ratione corporis non minus, quam animi. Ubi enim necessariae dotes et vires penitus desiderantur, et nulla illas acquirendi spes relinquitur, dubitari certe non potest, talem ad hunc statum a DEO vocatum non esse.

3. Denique in eligendo statu omnino etiam *deliberantis propensio* attendatur, siquidem *honesta et rationalis* dici possit. Quo magis enim animus ad certum laborum genus propendet, eo alacrius feliciusque illos absolvet; quae vero contra mentis inclinationem et, prout dicunt, invita Minerva peraguntur, vires lugubriter atterunt, atque vel negligi vel certe absque fructu fieri solent. Ut vero propensio quaedam *honesta* et *rationabilis* vocari queat, requiritur, ut non tantum nihil intendatur, quod turpe vel homine indignum sit, sed etiam, ut *constanter se exserat*, velut siquis e. g. se ab ineunte aetate ad certa munera quasi natum sentit, ex iisque uberrimos fructus exspectat

etc. Qui autem nonnisi propensionem *naturae animalis*, vel etiam *subitos volatilesque* animi affectus sequitur, plerumque jam in hac vita gravissimas tantae temeritatis poenas luet *).

§. 323.

De superando status initi taedio.

1. Postquam certo statui nomen dedimus, firmiter teneamus, hanc stationem a DEO ipso nobis assignatam fuisse. Neque temere id supponitur; qui enim post maturam deliberationem et sincero studio justitiae certam vitae conditionem ingressus est, dubitare nequit, quin DEUS ipse res ita disposuerit. Idem de illis obtinet, qui citra propriam culpam per circumstantias externas ad certum vitae genus, e. g. ad militiam compelluntur.

2. Quid vero, si quis vel propria culpa in tales circumstantias conjectus, vel ob justae deliberationis neglectum in statum sibi haud convenientem delapsus fuit? Revera plurimi sunt, qui se vocatione sua excidisse, et propterea ad perennes calamitates damnatos plangunt. Horum vero lamenta saepissime nonnisi ex *impatientia et aestuante phantasia* descendunt. Homines praepotentis phantasiae in suo statu nihil nisi onera et molestias, in aliis vero nonnisi fausta et dulcia vident. Cumque fallax imaginatio tum aliorum commoda tum proprias aerumnas longe ultra verum exaggeret, tristes semper et queruli malesano taedio contabescunt. Atque his alia medicina non suppetit, quam ut semet ipsos, prout oportet, abnegare, evagantemque phantasiam compescere studeant. Id nisi fiat, ad quodcunque vitae genus transierint, mox de novo iniquo fato se vexatos arbitrabuntur, et eandem iterum can-

*) Directionem pro eligendo statu breviter quidem, sed perbene delineat Fr. Neumayr: *Vir Apostolicus.*

tilenam repetent, quia suae cuivis statui molestiae inhaerent. Ast vicissim, qui semet abnegare didicit, atque ad exemplum Christi mitis est et humilis corde, omne jugum suave, et quodcunque onus leve existimabit.

3. Dantur tamen, qui juste ac solide credunt, se ad statum, quem occupant, vocatos non esse. Hic jam quaeritur, utrum iisdem *ad alium statum transire liceat, nec ne.* In casu primo statum sibi magis competentem eligant; sin vero ejusmodi mutatio salva conscientia et religione fieri non jam potest, illud S. Augustini sibi dictum putent: „*Si non es vocatus, fac ut voceris;*“ seu ita vitam age, ac si ad praesentem stationem reapse vocatus esses. Hunc in finem sequentia notare juvat:

a) Etiamsi fors contra divinam voluntatem hunc statum amplexus fueris, nunc tamen DEUS ipse jubet, ut in illo persistas, utpote quem absque grandi piaculo mutare jam non potes. Quare aliud non restat, quam ut de admissa culpa sincere poenitens muneri tuo pro viribus satisfacere studeas. Quod ubi serio tentaveris, DEUS, qui cor contritum et humiliatum nunquam despicit, dabit etiam profectum. Fidelis est enim, nec patietur tentari aliquem supra id, quod potest.

b) Si sors tua acerba tibi videtur, cogita, nullam vitae conditionem esse, quae suis non laboret difficultatibus. Generatim omnes illae rationes huc faciunt, quas §. 268. seq. ad commendandam patientiam indigitavi.

c) Denique tali etiam *fausta et jucunda* proponantur, quae ex hac ipsius conditione, non item ex aliis redundant, praesertim dum quis officia sibi incumbentia rite adimplere satagit. Quapropter is, qui vocationis suae taedio afficitur, omni modo urgeri debet, ut pius et sedulus in exequendo suo munere usum aliquem et dexteritatem sibi acquirat; exinde enim non tantum

fastidium conceptum dispelli, sed ubi labores bene succedunt, paulatim etiam in voluptatem converti solet. Praecipue hoc remedio taedium morae impeditur, quo ejusmodi hominibus nihil periculosius esse consuevit.

§. 324.

Vitia opposita.

1. Ex hac doctrina inprimis patet, quam perverse illi agant, qui, ut liberius genio indulgeant, sese ad certum statum determinare nolunt, et propterea talenta et bona sua inaniter disperdunt. Quid jam in hac vita tristius, quam siquis fors praeclaris dotibus instructus sine consilio, sine scopo, neglecta vocatione sua huc illuc errat, atque annos prae reliquis fertiles vesane prodigit, tum sibi tum aliis oneri futurus, licet de utraque republica optime mereri potuisset? Hos praecipue parabola de talentis aggreditur, quae in hanc denique sententiam desinit: „*Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores; illic erit fletus et stridor dentium.*“ Matth. 25, 14. etc. *).

2. Quantum illi peccent, qui in eligendo vitae statu nonnisi *corruptam naturam*, sensualitatem nempe vel superbiam sequuntur, demonstratione non indiget. Equidem praesentis vitae prosperitatem intendere non tantum licet, sed generatim oportet etiam; ita tamen ut mens prosperitatem nonnisi honestam expetat, atque ut rationes altiores non excludantur. Qui vero adinstar animalium in meras voluptates ruunt, nimis luculenter testantur, quantum a vera hominis dignitate desciverint.

*) Revera saepe accidit, ut praestantissima ingenia definitam vitae occupationisque rationem inire cunctentur, interdum ob nimiam anxietatem, qua diversos status expendunt, sed multo frequentius ex summa animi levitate, vel omnino ideo, ut nullo adhuc jugo subacti eo facilius juvenilia desideria sectari possint.

8. In ipso vocationis stadio praesertim illi deplorandi sunt, qui statum suum pervicaciter aversantur, et ex concepto illius taedio misere languescunt. Praeterquam quod tales semet ipsos dire torqueant, etiam officiis suis nimium quantum deesse solent. Atque haec calamitas prae reliquis in statu conjugali frequens invenitur. Quae vero mala timenda non sunt, ubi conjux conjugis pertaesus contra vinculum illud infremiscit, quo se indissolubiliter constrictum luget?

B.

De officio sedulitatis.

§. 325.

Expositio hujus officii.

1. Sapientissimus Conditor non frustra, sed ideo diversas nobis vires et facultates concessit, ut easdem juxta ipsius voluntatem exserere et adhibere studeamus. Atque in hoc sensu laboriositas, seu strenua applicatio virium nostrarum aliud non est, quam practicum exercitium supremi principii, quo DEUM ex omnibus viribus, et proximum sicut nos ipsos diligere jubemur.

2. In sensu strictiori autem hoc nomine constans studium designamus ea omnia rite perficiendi, quae cum vocatione nostra propius cohaerent, tum ut ad illam nos rite praeparemus, tum vero ut in certa statione collocati ejusdem officiis rite defungamur. Hoc idem studium *sedulitatem* dicimus.

3. Haec in stadio nostro sedulitas officium plane gravissimum constituit. Etenim hunc ipsum in finem DEUS certam nobis actionum aream assignavit, ut in suo quisque loco et pro concessis cuique dotibus ultimum finem nostrum assequi satagamus. Idem tum sacra tum profana

respublica a nobis exspectat. Imo etiam propriae saluti nonnisi per justam sedulitatem providere possumus. Praeterquam enim quod per indefessum laboris studium natura depravata optime coërceri soleat, etiam ipsa facultatum nostrarum perfectio a constanti earundem exercitatione pendet. Accedunt rationes aliae, dum nempe nobis nostrisque necessarium victum comparare, et sorti nostrae rite prospicere jubemur etc. Ipsa animi tranquillitas absque pensi juste persoluti conscientia haberi nequit. Unde hoc sedulitatis officium recte *universale* dicimus. Nemo ad solas fruges consumendas nascitur, et sibi soli vivit. Prout ergo unumquodque membrum ad totius corporis humani salutem suo modo operam conferre debet, ita etiam quisque humanae societatis emolumento vires suas impendere tenetur. Quisquis, cum *laborare possit*, otio torpescit, servus inutilis est, qui talentum sibi concreditum in terra defodit. Matth. 25, 18.

4. Ast pro diversitate indigentiarum, quae genus humanum premunt, diversa quoque laborum genera dantur. Absit ergo, ut illos de otio condemnemus, qui alio quam manuum labore occupantur. „*Nam et corpus non est unum membrum, sed multa. Si dixerit pes, quoniam non sum manus, non sum de corpore, num ideo non est de corpore? Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem posuit DEUS membra, unumquodque eorum in corpore, sicut voluit.*“ I. Cor. 12, 14. etc.

Praeter solitas vitae rationes dantur etiam aliae, quae *ordinis sublimioris* sunt, quaeque, etiamsi profanos oculos lateant, in totam tamen societatem plurimum utilitatis conferunt. In hunc censum veniunt, qui mundo valedicentes in ordine religioso se totos DEO devoverunt. Praeter pulcherrima exempla et continuatas pro salute omnium preces, tales dum etiam

in cura animarum, in educanda juventute, in sublevandis aegrotis atque pauperibus, in excolendis scientiis etc. desudant, de humana societate certe insigniter merentur. Neque illi vitae otiosae argui possunt, qui postquam in publico munere pondus diei et aestus portaverunt, ad vitae vesperam e scena decedunt, tum ut idoneus successor locum occupet, tum ut ad imminentem aeternitatem tanto expeditius se accingant. De ipsa cura animarum ait quidam: *„Inter pastorale officium et divinum judicium sit aliquod interstitium."*

5. Merito autem illi inertiae accusantur, qui, etiamsi tota die multum distineantur, longe tamen alia peragunt, quam quae agere oporteret; dum nempe iis, quae necessaria vel utiliora sunt, male neglectis nonnisi curiosa et inania sectantur. Et haec quidem desidia culpam eo majorem inducit, quo gravius alicui munus incumbit, et quo graviora ex tali neglectu detrimenta timeri debent.

6. Cum vero haec laborandi sedulitas aliud non sit, quam practicum exercitium principii evangelici, aptius illam promovendi remedium non restat, quam ut religio christiana magis magisque in omnium succum et sanguinem convertatur. Prout jam §. 183. dixi, plurimum alucinantur, qui sensum ad coelestia aspirantem justae sedulitati inimicum putant. Fingamus familiam vel provinciam, quae in religione solide instructa ejusdem etiam sensu perfusa sit, profecto continuo in illa exemplum summae quoque sedulitatis spectabimus. At vicissim ubi haec religionis efficacia deest, homines vel turpi inertia detinentur, vel eorum labor, utpote soli egoismo deserviens adinstar fluvii regionem, quam irrigare deberet, devastat, ac demum in foetidam vitiorum paludem desinit.

§. 326.

Conditiones justae sedulitatis.

1. Ut vero sedulitas nostra rationi per revelationem

illustratae plane conveniat, tum intentio nostra tum labor ipse legi aeternae conformis sit oportet. Quod jam *finem et intentionem* attinet, non est, quod saepius dicta repetantur. Scilicet, ut Apostolus inquit: „*Omne, quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine JESU Christi, gratias agentes DEO et Patri per ipsum.*“ Col. 3, 17. Res isthaec in cura animarum summi momenti est. Plurimi a primo quidem diluculo ad seram usque noctem labore atteruntur, sed ita, ut vel mechanice tantum desudent, vel nonnisi coacti et indignabundi, vel ex quibuscunque aliis rationibus mere profanis defatigentur, non ut servi Christi, facientes voluntatem DEI ex animo, sed nonnisi ad oculum servientes, et ut hominibus placeant. Eph. 6, 6. Quam praeclare igitur pastor animabus sibi demandatis prospiciet, si iterato et perspicue illis proponat, qua ratione opera nostra magis meritoria efficiantur. Quamvis absolute non sit necessarium, ut laboribus, quos ordimur, *formalis semper intentio* praemittatur, frequens tamen illius renovatio summam utilitatem affert. §. 51. Atque ut mens nostra idonea varietate alacrior servetur, diversae intentiones suggeri possunt, e. g. immediata erga DEUM charitas, humilis obedientia erga DEUM, sensus poenitentiae, gratitudo erga Christum patientem, cultus Sanctorum, dilectio fraterna etc.

2. Sed etiam *labor ipse* legi aeternae penitus conformari debet; quem in finem haec potissimum notanda videntur: *a)* Sedulitas nostra indefessa quidem, simul vero talis semper sit, ut tum virium nostrarum tum reliquorum officiorum, quibus tenemur, justa ratio habeatur. Dantur quidem circumstantiae, quibus interdum ipsam vitam impendere jubemur; attamen ubi tantae rationes haud intercedunt, perperam agit, quisquis vires suas vel praemature exhaurit, vel aliis officiis, e. g. cultui divino necessarium

tempus subripit. *b)* Tum vero labores nostros *debita industria, recto ordine, rite* et *intra legitimum tempus* perficere studeamus. Absit, ut negotia nostra tumultuarie, ad solam speciem, vel nonnisi segniter pertractemus. Etenim omnes nos servi DEI, et in suo quisque stadio ipsius operarii sumus; unde quidquid nobis agendum incumbit, ceu divinitus nobis demandatum justa cum solertia exequi oportet *). *c)* Denique etiam dum labori intenti sumus, nobismet ipsis invigilare, et continuato nosmet abnegandi studio motus depravatae naturae coërcere debemus, ut caveamus nobis ab impatientia aliorumque offensis, a scurrilitate et detractione, a maledictis et imprecationibus, ab invidia et vesana aemulatione etc. Et, proh dolor! nimis saepe accidit, ut molestissimi labores ob hujuscemodi prae-

*) Utique plurimum refert, *qua ratione* et *industria* munere nostro defungamur. Quantum discriminis inter duos sacerdotes, quorum unus officia sibi incumbentia obiter tantum, perfunctorie et nonnisi mechanice peragit; alter vero ad munia sua semper rite praeparatus accedit, et quidquid aggreditur, omni meliori modo perficere studet! Unde divinus sermo ait: „*Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter.*“ Jer. 48, 10. Generatim in omni vitae conditione sedulo indagandum est, qua ratione industria nostra quam maxime proficua fieri possit. Si enim nonnisi tritum mechanismum sequimur, conditio humani generis semper eadem manebit. Cave tamen, ne ea, quae hucusque usitata fuerunt, ex malesano nova moliendi pruritu indiscrete rejicias. Decet equidem, ut in negotiis, quae nobis incumbunt, expediendis semper perfectiora meditemur; ast plurimi nostra aetate hoc principio pessime abusi sunt, dum nempe studio novitatis ducti omnia miscere, et quidquid antiquum vel usitatum fuit, jam ex hoc solo titulo eliminare tentarunt; qui quidem antiquitatis contemtus nobis nimium quantum funestus accidit.

variçationes non tantum omni merito destituantur, sed ipsam quoque divinam vindictam provocent.

§. 327.

Vitia opposita.

1. Ut de illis taceam, qui absque necessitate nimiam negotiorum molem sibi imponunt, in hac causa praecipue reprehendi merentur, qui labores sibi incumbentes vel non rite pertractant, vel omnino negligunt. Ad priorem classem *tarditatem* et *negligentiam* referimus. De tarditate culpandus venit, qui non ob ingenii aut virium infirmitatem, sed mero studio commoditatis et desidia in rebus gerendis justo plus temporis insumit. Exinde multa rerum emolumenta negligi, alia officia omitti, vel saltem iis obeundis commoda spatia subtrahi solent. Negligentem vero dicimus, qui negotia sua absque sufficienti attentione et industria, luride et volante manu peragit parum sollicitus, quomodo agantur. Haec tarditas et negligentia praesertim in illis ingravescit, qui vel *in publico munere* constituti, vel *mercede conducti* res sibi incumbentes oscitanter vel luride agunt cum ingenti nonnunquam illorum damno, quorum interest. Hinc, prout alibi dicetur, tales saepe etiam ad restitutionem tenentur.

2. Qui a justo labore penitus cessat, *otiosus* dicitur. Distinguunt vero otium *pigrum* et *operosum*; illud cessationem ab omni labore dicunt; operosum vero in eo est, ut quis neglectis necessariis atque utilibus vana, vel saltem talia actitet, quae ad rem non pertinent. Tales describuntur e. g. Act. 17, 21. „*Athenienses autem omnes, et advenae hospites ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere aut audire aliquid novi.*“ Huc praesertim minutulae illae occupationes hominum, muliercularum praesertim elegantiorum pertinent, quippe quarum omnis pene sollicitudo

in parandis fruendisque oblectamentis, in disponendo corporis ornatu, in vanis confabulationibus et meris nugis detinetur.

3. Utraque otiandi species praeter officiorum neglectum summam animi socordiam involvit. Quis non misere fascinatum et deplorandum dicat, qui tempus irreparabile et ad promerendam felicem aeternitatem concessum inaniter disperdit, officia sua intermittit, et ipsum, quo pollet, ingenii acumen sensim obtundi patitur? Praesertim *otium pigrum* in summam hominis perniciem vergit. Qui enim quamvis vanis tantum et inutilibus, attamen aliquibus iisque non inhonestis negotiis occupatur, saltem a plurimis peccandi illecebris praeservari solet; dum vicissim ex plena et inerti otiositate plurima alia vitia succrescunt. Prout e limoso stagno vermes, ita ex corde penitus otioso turpes cogitationes, prava desideria et nefanda flagitia enascuntur. Cumque iners iste torpor plerumque egestatem pedissequam habeat, hujus furfuris homines, nequid sibi desit, saepe omnes tum juris tum honestatis terminos perrumpunt. Cf. Ps. 72, 6. seq., Eccli. 33, 29.

Caput VI.

De bono famae et benevolentiae hominum.

§. 328.

Praeviae notiones.

1. Prout omnes tum animi tum corporis nostri facultates, ita et *res externas* tali modo adhibere decet, ut ad ultimum finem nostrum apte conducant. Quaeritur ergo inprimis, quid justus erga semet ipsum amor intuitu reliquorum hominum expetat, qui nobiscum vivunt, vel etiam praesenti generationi succedent. Absit vero, ut aliis qui-

buscunque hominibus tamquam meris mediis et instrumentis utendum esse arbitremur. Id enim rationi per revelationem illustratae quam maxime repugnaret. Attamen omnino convenit, ut bonam aliorum de nobis *existimationem* atque *benevolentiam* nobis comparemus.

2. Est vero *bona existimatio* generatim bonum judicium aliorum de qualicunque dignitate et praestantia nostra. In sensu strictiori vero est bonum judicium de virtute seu de perfectione nostra morali. Quodsi alii hoc suum judicium factis produnt, *honos*, si autem verbis id fiat, *laus* dicitur. Dum porro de nobis publice constat, *bonum nomen* habere dicimur, si nihil inhonesti, vel quod contemtum pariat, de nobis innotuit; ast *bona fama* gaudet, cujus tum virtus tum etiam praeclarae dotes satis notae atque compertae sunt. Demum praeter honorem, qui cuidam proxime propter indolem et dotes defertur, datur adhuc alius, quem dignitas *muneris* vel *conditionis externae* petit.

3. Quid per aliorum *benevolentiam* designetur, terminus ipse innuit; est nempe prona aliorum voluntas, qua nobis addicti et ad promovendos conatus nostros parati sunt.

§. 329.

Rationes et momenta hujus officii.

1. „*Melius est nomen bonum, quam divitiae multae; super argentum et aurum gratia bona.*“ Prov. 22, 1. Idipsum sententia omnium cultiorum hominum confirmat; hinc omnes hominem abjectum et effrontem dicunt, qui famam suam pecunia venalem habet. Insuper generatim talis est rerum nostrarum conditio, ut per bonam famam et benevolentiam aliorum *tum virtus* tum *activitas nostra* plurimum promoveri soleat. Inter momenta naturalia, quae studium virtutis commendant, homini ingenuo nullum effi-

cacius videtur, quam fama et favor hominum. Quid plerosque ab omni turpitudine magis absterret, ad facienda vero patiendaque fortia vehementius allicit, quam ratio famae ac nominis sui? Et siquidem hoc bonum ita intenditur, ut rationes altiores non excludantur; hoc aliis placendi studium genuinam virtutem neutiquam evertit. Ast quamvis forte rationes altiores haud concurrant, multum tamen lucrabimur, siquis etiam ex solo *metu infamiae* ab actu turpi abstineat, e. g. puella in summum perdendae pudicitiae discrimen adducta.

2. Pari modo successus actionum nostrarum plerumque ab aliorum existimatione et favore pendet. Quid enim ad nostram aliorumque salutem conferre poterimus, si vel famam nostram vapulare contingat, vel illi, quorum cooperatione indigemus, conatibus nostris adversentur? Et quidem quo ampliorem in utraque republica provinciam occupamus, eo pluris interest, quid alii de nobis sentiant. Praecipue de animarum pastore id obtinet. Quid, quaeso, omnia consilia et monita pastoris proderunt, quem mala plebs odit, vel cujus probitas in suspicionem adducitur? Et vicissim quam feliciter labores illius succedent, quem communitas et magni habet et sincere diligit!

3. Quare generatim omnino ad nostra officia pertinet, ut famae et aliorum de nobis existimationi rite provideamus. Quem in finem Apostolus monet: „*De cetero, fratres, quaecunque sunt vera, quaecunque pudica, quaecunque justa, quaecunque sancta, quaecunque amabilia, quaecunque bonae famae, haec cogitate.*“ Philipp. 4, 8. De praesule autem ecclesiastico ait: „*Oportet illum et testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, et in laqueum diaboli.*“ I. Tim. 3, 7. Atque Timotheum ipsum hortatur: „*Nemo adolescentiam tuam contemnat; sed exemplum esto fide-*

lium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate., Ib. 4, 12.

4. Non minus illum honorem tueri decet, qui *nostro muneri* vel *sanctiori characteri* debetur. Decet equidem, ut non minister ab officio, sed potius officium a ministro splendorem acquirat; attamen ipsa salus publica expetit, ut non attenta officialium dignitate publicis muneribus atque officiis justa reverentia deferatur. „*Scriptum est enim: Principem populi tui non maledices.*" Act. 23, 5. Et quanta in utraque republica rerum perturbatio timenda foret, si ob ministrorum improbitatem *munera ipsa* contemnere liceret? Praesertim religionis interest, ut *character sacerdotalis* in ministro etiam indigno pie semper suspiciatur. Imo ipsi societati civili ingentia mala imminent, ubi sacerdotium viluit.

Verum etiamsi dignitas personalis ab ipso sacro charactere probe distingui debeat, nihil tamen fit frequentius, quam ut turpitudo ministri in ipsum ejusdem statum ac munus refundatur. Quare etiam sub hac ratione gravissime delinquunt sacerdotes degeneres, qui vitae suae licentia sacerdotium ipsum conspurcant, et inimicos Domini blasphemare faciunt. Neque illi culpa vacant, qui, etiamsi a vitiis gravioribus immunes sint, dignitatis tamen sacerdotalis immemores se ad indecentia obsequia vel ad nugas coram laicis demittunt. Quam pronum est, ut illi, qui nos in quotidiana conversatione sibi per omnia similes vel etiam pejores deprehendunt, pedetentim omnem quoque reverentiam abjiciant, vel omnino arbitrentur, nos, dum sacra tractamus, non ex firma animi persuasione, sed simulate tantum et scenicorum instar ad lucrandum panem agere.

§. 330.

Limites hujus officii.

1. Etiamsi generatim oporteat, ut aliorum nobis aestimationem et benevolentiam conciliemus, hoc tamen officium

non absolute, sed tantum hypothetice urget. *Virtus adhuc infirma* equidem hoc fulcro vehementer indiget; ast ubi mens nostra in bono altiores radices fixit, turbo calumniarum aliarumque adversitatum illam multo magis perficit, quam gratia et favor hominum. Cum enim omnes adeo ad ambitionem et vanam gloriam proclives simus; virtus nostra tum demum ab omni superbiae inquinamento depurgari solet, ubi nos citra culpam ab aliis neglectos experimur. Revera si minus omnes, plerosque saltem illorum, quorum virtutem nunc admiramur, huic purgationis camino subjectos fuisse legimus, ut cum Apostolo fateri potuerint: „*Blasphemamur, et obsecramus; tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.*“ I. Cor. 4, 13.

2. Sed forsan *ratio vocationis nostrae* activitatisque externae *absolute* jubet, ut bonam famam et favorem hominum omni, quo possumus, modo adipisci atque tueri studeamus? Et sane haec ratio prae reliquis studium aliis placendi commendat, praesertim ubi locum eminentiorem occupamus. Attamen ex sapientissima DEI dispositione saepe accidit, ut calumniae, quibus inique impetimur, postmodum multo cum foenore compensentur, ita ut activitas nostra multo foecundior et amplior evadat, quemadmodum fere sol, ubi ejus radii per effusos imbres aliquamdiu intercepti fuerunt, paulo post discussis nubibus fertilitatem eo largiorem affert. Inter alios ad solum Josephum Aegyptiacum provoco.

3. Omnium minime aestimationem et gratiam hominum per *media indigna vel abjecta* aucupari licet, c. g. per hypocrisim, per indignam conniventiam, qua aliis, quidquid lubet, conceditur; per vesanam bonorum profusionem etc.

Etiam in cura animarum admodum delicati esse debemus, ne aut populi aut magistratuum potentiorumve gratiam mediis indignis captemus, qualia forent nimia celeritas in faciendo sacro, laxitas in confessionali, turpis adulatio, conversatio justo familiarior, approbatio abusuum, qui alicubi invaluerunt etc. Quoties hominum favor nonnisi per media indigna acquiri potest, illius nos meminisse decet, quod ait Apostolus: „*An quaero hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.*“ Gal. 1, 10. Ipse Apostolorum princeps huic tentationi aliquando non nihil cessit; unde Paulus eidem in faciem restitit, quia reprehensibilis erat. Ib. 2, 11.

§. 331.

Regulae practicae.

1. Bona fama equidem bonis fortunae plurimum praeferri meretur; attamen nequaquam bonum summum seu absolutum constituit. Idem de gratia et favore hominum obtinet. Quare bona existimatio aliorum non quidem negligi, sed neque *sui ipsius causa* captari debet; potius ita appetenda est, et adhibenda, ut fini nostro ultimo apte deserviat; scilicet ut virtus nostra adhuc infirma per illam sustentetur, et praesertim ut aliis tum exemplo tum conatu nostro eo magis prodesse valeamus. Absit igitur, ut haec famae favorisque captatio sive per sinistram intentionem, sive per indigna, quae adhibentur, media virtuti ipsi adversetur *).

2. Praecipua cura nostra eo tendat, ut *hominibus probis atque cordatis* accepti simus, utpote quorum favens judicium plausus populares in immensum superat. Equidem absque justa ratione neque perversos lacessere oportet;

*) Praeclare Socrates hanc viam ad gloriam proximam et quasi compendiariam dicebat esse, si quis ita ageret, ut qualis haberi vellet, talis esset.

attamen ubi ipsum virtutis studium iisdem displicet, de hoc illorum contemtu gaudendum potius, quam dolendum erit, cum utique laus sit displicuisse malis. „*Beati estis, cum maledixerint vobis, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me: gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis.*“ Matth. 5, 11. etc.

3. Ubi fama et favor hominum nobis obtigerunt, nobismet ipsis caute invigilemus, ne exinde inaniter extollamur, neve studium vanae gloriae subrepat; id quod in hominibus etiam probis adeo pronum est, ut longe securius videatur humano favore atque nominis celebritate destitui, quam iisdem abundare.

4. Quodsi denique vita nostra aliis displiceat, praeprimis explorandum erit, an aliquibus naevis laboremus, quibus reliqui juste offendantur. Tum vero, si post maturam indagationem nihil nobis immutandum videtur, humili, sed erecto simul ad DEUM animo stadium nostrum prosequamur, omnem sollicitudinem projicientes in DEUM, atque illud Apostoli usurpantes: „*Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die. Qui autem judicat me, Dominus est.*“ I. Cor. 4, 3. Vel prout alibi scribit: „*Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae, quod in simplicitate cordis et sinceritate DEI conversati sumus.*“ II. Cor. 1, 12.

§. 332.

Continuatio de fama lacessita vindicanda.

1. Dum quaeritur, qua ratione nos famam lacessitam tueri vel vindicare oporteat, inprimis distinguendum videtur, utrum *propria culpa*, an vero *immerito* aliorum bona existimatione et gratia exciderimus. Si primum, utique aliud non restat, quam ut noxas atque maculas, quas contraxi-

mus, sincera poenitentia vitaeque emendatione eluere satagamus.

2. Si vero prorsus immerito de fama nostra periclitamur, varia iterum dispicienda veniunt; et primo quidem, utrum defensio nostra *possibilis*, atque *optatum effectum habitura* sit. Quodsi nomen nostrum ob adversariorum improbitatem vel ob alias circumstantias vindicare haud possumus, tales injuriae adinstar aliorum malorum, quibus afflictamur, patienter et cum pia erga DEUM resignatione perferendae sunt, *„ut in omnibus exhibeamus nosmet ipsos sicut DEI ministros in multa patientia, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam: ut seductores et veraces, sicut qui ignoti, et cogniti.“* II. Cor. 6, 4. Pulcherrima sunt, quae de imit. l. 3. c. 50. pro tali casu suggeruntur.

3. Verum etiamsi tali defensioni locus detur, ad illam tamen *non semper obligamur.* Stricta obligatio tum demum urget, ubi ex defensionis neglectu vel in nosmet ipsos vel in alios, fors in ipsam religionem gravia detrimenta redundant, quae non impedire nefas foret. Ubi rationes adeo urgentes desunt, *licet* equidem famam lacessitam legitimis mediis tueri, ita tamen ut plerumque de *bono meliori* sit, si nostri ipsorum victores humiliter tacere atque causam nostram cum plena resignatione DEO relinquere decernamus, ex tanta voluntatis abnegatione certe ingens praemium reportaturi. Revera in hominibus solide piis hoc pietatis humilitatisque exercitium saepissime detegimus et jure admiramur, eoquod animo honestatis amanti jactura nominis prae omni alia afflictione gravis accidere soleat.

4. Generatim ex tota hac dissertatione patet, quantum nobis cavere debeamus, ne in expetenda tuendaque bona fama sub specie virtutis putidum egoismum sequamur. Prouti iterato dixi, superbia prae omni sensualitate nobis

molesta atque periculosa esse solet, utpote quae toties *in Angelum lucis* transmutatur. Quoties evenit, ut illi, qui, prout ajunt, ex solo impulsu justitiae aliis placere vel calumnias sibi irrogatas retundere allaborant, re penitius considerata nonnisi impetu sauciatae superbiae agantur? Inter ipsos viros ecclesiasticos tales illusiones haud infrequentes esse consueverunt, atque eo minus curantur, quo magis spiritus mundanus, quidquid fastui arridet, approbandum putat.

Pari modo inde intelligitur, quam caute in educanda juventute nos versari oporteat, ne, dum stimulum honoris provocamus, animi juveniles dominanti ambitioni in praedam cedant.

Praesertim illud ambitionis genus studia nostra fallere consuevit, dum proxime non singillatim *nobis*, sed *nostris*, nempe hominibus familiae, conditionis vel societatis nostrae humanos favores et nominis celebritatem comparare nitimur, utique non studio justitiae, sed ideo duntaxat, quia *nos ejusdem familiae membra* sumus. Nimium proni sumus, ut honores, quos familiae nostrae ex rationibus altioribus conciliare decet, *inordinate* atque impulsu solius egoismi appetamus. Quis vero nescit, quanta detrimenta ex hoc praepostero in suos affectu in utramque rempublicam redundaverint, dum non raro saluberrima consilia ob vesanam familiarum aemulationem frustrata sunt?

§. 333.

Peccata opposita.

1. Nunc jam potissima peccata enumerare juvat, quibus officium hucusque expositum violari solet. Et quidem *per defectum* peccant, qui famae suae prorsus incurii tum se tum statum suum turpiter deprimunt. Tales profecto, praesertim ubi locum eminentiorem tenent, non tantum sibi, sed etiam bono communi plurimum adversantur. Et ad quae facinora ille paratus non est, qui sui ac dignita-

tis suae nullam prorsus curam gerit? Plerumque haec sui abjectio ex supina vitiositate enascitur, dum quis e. g. libidini, ebrietati, avaritiae etc. tam praefracte inhaeret, ut obliterata conscientia positoque pudore jam non erubescat plebi publicum perversitatis spectaculum praebere.

Ast cum hac turpissima sui abjectione confundi non debet dignissima illa sui abnegatio, qua quis ad impias aliorum calumnias, quamdiu per rationes altiores conceditur, tacet, atque defensionem suam humili cum resignatione DEO committit. Tale silentium hominem non degenerem, sed potius virtutis heroëm facit.

2. Multo frequentius *per excessum* peccari solet, dum nempe aestimationem et favores hominum *inordinate* appetimus, sive nimio affectu sive per illicita media id fiat. Quia jam §. 261. et seq. tum praecipuas species tum diversam gravitatem hujus peccati perstrinximus, hoc loco pauca tantum subnectere juvat. Scilicet haec inordinata famae celebritatisque cupiditas jam suapte indole peccatum grave constituit, quoties *in dominantem animi affectum* degenerat, ita ut quis laudes atque favores hominum ceu *ultimum finem* sibi designet, et ad explendum hunc suum pruritum *media etiam sub gravi prohibita* usurpare haud reformidet. Atvero hoc idem studium inordinatum a culpa saltem gravi vacat, ubi ratio habenas, quibus hunc stimulum moderari oportet, equidem minus firmiter adstringit, quin tamen illas dimittat; seu dum non dominans animi affectus, sed tantum haud sufficienter suppressus stimulus subest, ita ut mens saltem media sub gravi interdicta sincere aversetur.

3. Haec inordinata mentis aviditas plurima perversitatis incrementa nanciscitur pro diversitate *mediorum*, quibus ceu subjectis gradibus aliquis honoris celebritatisve

fastigium conscendere studet. Et sane vix datur aliquod officium, quod huic idolo immolari non soleat. Ut quaedam tantum adducam, *a) quantum ad DEUM* praeter hypocritas, qui ipsis Sacramentis aliisque rebus sanctissimis abutuntur, sunt etiam, qui, ut nomen sibi vel potentiorum gratiam concilient, doctrinas religioni contrarias tuentur, dominanti temporis genio in omnibus applaudunt etc. *b) Quantum ad semet ipsos* homines hoc vitio inescati non raro bona sua, imo et sanitatem et ipsam vitam prodigunt, tantum ut inanem gloriolam captent, e. g. in duello etc. *c)* Denique *quoad alios* ii, qui hac vertigine laborant, vel aemulos suos omni modo exagitare ac deprimere conantur, vel plurimos ceu mera instrumenta ad exsatiandam suam ambitionem adhibent. Quis non cohorrescit, dum e. g. principem cogitat, qui impotenti fastu elatus integras regiones depopulatur, atque multa hominum millia hunc in finem sibi famulari compellit, quorum non tantum corpora, sed etiam animas in summum discrimen conjicit, effrenatis eorum moribus, dummodo strenue decertent, libere indulgens.

4. Denique notatu dignum videtur, quod hoc ambitionis atque inanis gloriae vitium semet ipsum evertat. Quo enim avidius quisque honori atque laudibus inhiat, eo se aliorum aestimatione indigniorem reddit. Omnes enim illum laude indignum, imo contemnendum arbitrantur, qui nonnisi laudis studio ducitur; at vicissim quo quisque minus humana praeconia intenderit, eo magis ab omnibus celebratur. Sic igitur divina justitia disponente fit, ut veri nominis gloria insequentes fugiat, fugientes vero sequatur.

Caput VII.

Dominium in alios.

§. 334.

Emolumenta dominationis.

1. Etiamsi eandem omnes naturam atque destinationem nacti simus, res tamen ipsa postulat, ut mutua hominum subordinatio et inaequalitas existat. Quisquis *absolutam hominum libertatem aequalitatemque* propugnat, praeter omnium temporum historiam *ipsam naturam* sibi contrariam habet. Et quid demum in tanta hominum corruptione timendum non foret, si sublato omni subjectionis vinculo nemo alteri obnoxius, sed omnes prorsus aequales essent? Quare ex hac hominum subordinatione, siquidem rationi per revelationem illustratae conveniat, in ipsos subditos summa emolumenta scaturiunt.

2. Sed quamvis haec subjectio utilissima, imo et necessaria sit, naturae tamen nostrae quodammodo molesta et gravis videtur, utpote per quam arbitrium nostrum arctius constringi solet. Unde illos quoque prae reliquis beatos censemus, qui vel in rerum humanarum culmine constituti praeterquam DEO nemini subsunt, vel in gradu inferiori saltem in aliquos dominatum exercent. Etenim praeter bona fortunae et nominis splendorem, quibus plerumque subditos suos antecellunt, jam ipsa *libertas seu independentia*, quae ipsis pro diversa muneris sublimitate competit, ceu insigne *bonum* habetur. Et sane cum tot homines ad exequenda sua consilia paratos habeant, quot ipsis subditi sunt; non tantum suam, sed etiam aliorum et publicam salutem egregie promovere possunt. Sub hac igitur ratione dominium in alios merito in censum bono-

rum referimus, testante Apostolo: „*Fidelis sermo: siquis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.*“ I. Tim. 3, 1.

§. 335.

Pericula et incommoda dominationis.

1. Verum eadem dominatio plurimis quoque periculis et incommodis stipatur. Taceo innumeras curas et sollicitudines temporales, quae unumquemque eo magis infestare solent, quo altiorem locum occupat. Scilicet magna fortuna plerumque aliud non est, quam magna servitus; et quo quis altius sublatus fuerit, eo majores etiam ei casus forsan imminent. Ast ut haec omittam, quo amplior nobis provincia obtigit, eo pluribus quoque, gravioribusque officiis constringimur, quippe a quibus eo plura repetentur, quo plura fuerint concredita. Jam vero quae animi fortitudo requiritur, ne tot tantisque officiis aliquando desimus! Et quia ille, qui in fastigio est, latere nequit, quo altior quisque fuerit, eo magis ejusdem vitia apparebunt. Imo haec eadem vitia pro loci, quem occupamus, amplitudine ingravescere et multiplicari solent. Profecto res est perardua *semet ipsum* studio non intermisso ad normam recti dirigere; quid demum erit, si insuper salutem tot aliorum curare, atque divino Judici strictam aliquando rationem reddere debemus?

2. Quod vero haec tanta pericula in immensum auget, est lugenda nostra ad res fluxas proclivitas. Quam pronum est in tanta hominum infirmitate, ut quis ad tale dignitatis culmen vel per *media iniqua eluctari studeat*, vel ut potestate, qua supra reliquos eminet, *pessime abutatur?* Rerum terrenarum splendor et affluentia, promta quidlibet obtinendi facilitas, et inverecunda assentantium turba mentes etiam optimas corrumpunt, ut destinationis suae voca-

tionisque immemores in meras delicias, vel in superbiam et ambitionem desinant.

§. 336.

Regulae practicae.

1. Quapropter dominium in alios equidem prae *reliquis bonis externis* splendet, et simul ad promovendam nostram aliorumque salutem egregie conferre potest; ast tantis quoque molestiis atque periculis scatet, ut nonnisi virtus solidissima illis feliciter sustinendis par sit. Hinc ubi certa DEI voluntas contrarium non jubet, homo summae destinationis non minus quam infirmitatis suae sibi conscius *tutius semper et consultius* arbitrabitur, dominium oblatum detrectare, quam semet ejusmodi vinculis innectere, quae quo splendidiora videntur, eo magis cursum retardant. Scilicet nullibi tutius iter inveniemus, nisi per planum; dum vicissim in vertice statio lubrica et praecipitio proxima est.

2. Si tamen ex *certa DEI voluntate* onus formidandum adeo in nos suscipere cogimur, praeter intentionis puritatem prae reliquis opus est, ut de nobismet ipsis nihil boni exspectantes DEO invicta cum fiducia nos subjiciamus. „*Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex DEO est.*" II. Cor. 3, 5.

3. Et haec quidem, etiamsi a spiritu et more hujus saeculi prorsus aliena videantur, rationi tamen per revelationem illustratae unice conveniunt, siquidem meminerimus, quae sit patria et destinatio nostra.

Caput VIII.

Officia quoad bona fortunae.

§. 337.

Officium necessaria sibi comparandi.

1. Ultimam bonorum classem illa constituunt, quae *bona fortunae* dicimus. Equidem minus recte ita compellantur; cum enim omnes vitae praesentis casus per divinam providentiam gubernentur, cur bona isthaec *fictitiae fortunae* vel fato adscribamus? Vid. Ps. 30, 15. Sed quidquid de nomine sit, in hunc bonorum censum res illas computamus, quae rationis expertes propter nos seu ad usus nostros creatae atque dispositae fuerunt. Hunc in finem jam in ipsa rerum creatione DEUS ita loquens inducitur: „*Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et praesit piscibus maris, et volatilibus coeli, et bestiis, universaeque terrae omnique reptili, quod movetur in terra.*“ Gen. 1, 26. Idem dominium post diluvium confirmatur: „*Omnes pisces maris manui vestrae traditi sunt. Et omne, quod movetur et vivit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia.*“ Gen. 9, 2. etc. Cum igitur res istae *propter nos* conditae, atque ad usus nostros destinatae sint, voluntati divinae omnino consonum est, ut easdem etiam in usus nostros convertamus.

2. Et quidem DEUS res istas ita disposuit, ut pleraeque illarum nonnisi labore et industria nostra parari queant. Hanc igitur industriam etiam adhibere jubemur, cum jam ipsa *rite ordinata fiducia* postulet, ut ultimo quidem omnia bona a solo DEO exspectemus, proxime autem ea, quae in nostra potestate sita sunt, sedulo con-

feramus. Qui contrarium facit, DEUM non colit, sed tentat potius, atque sapientissimis ipsius consiliis aperte refragatur. Quam ob rem Apostolus inquit: „*Ipsi scitis, quemadmodum oporteat imitari nos; quoniam non inquieti fuimus inter vos: neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore et fatigatione, nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus. Nam et cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis: Quoniam siquis non vult operari, nec manducet. Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. Iis autem, qui ejusmodi sunt, denuntiamus et obsecramus in Domino J. Chr., ut cum silentio operantes suum panem manducent.*“ II. Thess. 3, 7. etc.

3. Quare audiendi non sunt, qui curas terrenas generatim cum cura rerum coelestium componi non posse opinantur. Potius, dum rebus nostris rite atque debita cum intentione providemus, agimus, *quod DEUS* vult, et *ideo, quia* DEUS vult, adeoque veri nominis virtutem exercemus. Quis vero adeo desipiet, ut virtutem ipsam studio coelestium opponi asserat? Praeterea prudens temporalium cura etiam reliqua hominis officia egregie promovet; labor enim et justa virium applicatio, praeterquam quod plurima vitia arcere soleat, etiam mentem nostram ad pulcherrimos affectus disponit tum erga DEUM, cui quodammodo cooperamur, tum erga alios, quorum providemus indigentiis. Revera nullibi virtutem solidiorem invenimus, quam in ea hominum conditione, ubi non quidem nimia, justa tamen laboris assiduitas viget. Quodsi adversarii ad sacros textus provocant, e. g. Matth. 6, 33., ib. 19, 21., Luc. 14, 33., I. Cor. 7, 31., I. Joann. 2, 15. et ejusmodi, juxta ipsius Ecclesiae sententiam respondemus, quod textus citati partim nonnisi *inordinatum et anxium* rerum terrenarum

studium redarguant; *partim* vero nonnisi Apostolis et omnium temporum apostolicis viris dicti fuerint, quippe quorum munus postulabat, ut a curis temporalibus penitus expediti et liberi omnem terram obirent, divinum ubique regnum annuntiantes. Sed absonum foret, id quod nonnisi pro singularibus quorundam conditionibus et adjunctis prolatum fuit, ad christianos omnes extendere. Et qua demum ratione religio nostra *universalis* fieri posset, si *omnibus ejusdem asseclis* curae temporales interdictae forent?

Sed non minus desipiunt, qui exemplo S. Pauli abutentes sacrorum ministros *ad laborem manualem* amandant, cum tamen idem Apostolus iterato asseveret justum esse, ut, qui altari deserviunt, cum altari quoque participent, seque nonnisi ob rationes singulares hac sua potestate uti noluisse. I. Cor. 9, 4—15. Pari modo res est facillima illos contra impias obtrectationes vindicare, qui curis hujus temporis penitus dimissis sese totos cultui atque regno divino devovent.

§. 338.

Continuatio.

1. Generatim igitur ad comparanda necessaria vitae subsidia tenemur. In hanc *necessariorum* classem referimus, quae requiruntur: *a)* Ut *nobismet ipsis* sustentatio statui seu *conditioni nostrae congrua* suppetat; *b)* ut indigentiis *nostrorum* provideatur, quorum nobis cura incumbit; *c)* ut *illis satisfiat*, quibus tum ex jure tum ex charitate vere obstringimur; creditoribus nempe et egenis. *d)* Denique etiam illa bonorum portio *necessaria* dicitur, quae *ex prudenti rerum aestimatione* pro casibus imminentibus reservatur, e. g. pro casu infirmitatis, senectutis etc.

Ex *prudenti rerum aestimatione*, inquam; nam ubi *de officio* agitur, illis tantum casibus providere jubemur, *qui pro-*

babiliter nobis imminent, non vero indigentiis imaginariis, et quas pertimescendi solida ratio deest. Id enim avarorum et generatim illorum est, qui spem non habent. Hi quippe innumeros sibi casus effingunt, quibus ut provideatur, plura semper et nova sibi coacervant, atque sic, dum quaerendo tempus terunt, elabitur vita, cui opes quaerebantur.

2. Huic ergo officio aperte desunt, qui rerum suarum incurii otio atque desidia torpescunt, et exinde ob hanc suam ignaviam necessariis destituuntur; item qui, dum aetas et vires suppetunt, desides oscitantur, vel res suas dilapidant, unde ingruente aliquo casu vel paulatim senescentes tum sibi tum aliis oneri futuri sunt. „*Vade ad formicam, o piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam; quae cum non habeat ducem nec praeceptorem nec principem, parat in aestate cibum sibi, et congregat in messe, quod comedat.*“ Prov. 6, 6. etc. Praesertim talis rerum neglectus redarguendus venit, ubi *aliorum quoque jura* laeduntur, dum e. g. paterfamilias multa sobole cinctus vel aere alieno gravatus ea sibi comparare negligit, quae ad suos rite sustentandos atque ad expungenda debita sunt necessaria. Imo juxta sententiam Apostoli „*siquis suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.*“ I. Tim. 5, 8.

3. Denique etiam in hoc negotio ita nos versari oportet, ut hujus temporis bona *ex ratione semper honesta*, et nonnisi per *honesta media* conquiramus. Procul esto, ut illa, quae ad prosequendos fines altiores nobis concessa fuerunt, mentem nostram deorsum curvent, vel ut eorundem splendore excaecati justitiae honestatisque limites transiliamus. Nemo bonus, nisi solus DEUS. Hic ergo nostra possessio, hic nostrum regnum esto. Reliqua omnia, quae dicuntur bona, eatenus tantum prensari merentur, quatenus ad DEUM conducunt.

§. 339.

De studio ditescendi.

1. Ea, quae necessaria videntur, generatim comparare *obstringimur*, in quantum nempe vires oblataeque opportunitates id nobis permittunt. Verum numquid etiam tenemur corrogare *opes superfluas*, et quid censendum est de *studio ditescendi?* Et inprimis quidem nullus inficiabitur, rerum temporalium opulentia virtutem egregie promoveri posse. Nam affluentes divitiae plurima nobis media parant, quibus diversas facultates nostras magis perficiamus; a non paucis tentationibus, quae egestatem vellicant, nos immunes reddunt; aptae sunt ad ciendos pulcherrimos pietatis erga DEUM aeque ac homines affectus; et abundantes nobis vires suppeditant tum publicis tum privatis aliorum commodis insigniter providendi. Ast ex parte opposita aeque certum est, rerum abundantiam in praesenti hominum corruptione valde periculosam et plus quam ancipitem esse. Tam studium ditescendi quam divitiae ipsae mentem nostram innumeris curis hujus temporis immergunt; tum superbiam tum sensualitatem vehementer sollicitant, atque immenso vitiorum agmini viam, imo et subsidia parare solent, adeo ut virtus prorsus insignis requiratur, quae tot tantisque assultibus haud succumbat. Quid demum de *peccatis omissionis* dicam? Cum enim unusquisque nostrum DEUM *ex omnibus viribus* diligere jubeatur, quot ex numero divitum erunt, qui revera *omnes suas facultates* in obsequium solius aeternae justitiae impendant? Unde etiam divina revelatio, etiamsi divitias earumque studium absolute haud condemnet, illas tamen ad horrorem usque periculosas dicit. „*Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum coelorum. Et iterum dico vobis, facilius est camelum per foramen acus transire, quam divi-*

tem intrare in regnum coelorum.“ Matth. 19, 23. Alibi vero divitiae cum spinis comparantur, quae verbum DEI suffocant, ib. 13, 7. Cum his conferantur, quae Matth. 6, 24. occurrunt. Pari modo Apostolus disserit: „*Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis.*“ I. Tim. 6, 9. etc.

2. Ex quibus pro ipso usu sequentes regulas derivare licet:

a) Ratio per revelationem illustrata *equidem haud prohibet*, quo minus quis ex honesta intentione honestisque mediis divitias sibi comparare, partasque retinere studeat. Christus ipse, cum Apostoli tremefacti sciscitarentur: „*Quis ergo potest salvus esse?*“ respondit: „*Apud homines hoc impossibile est; apud DEUM autem omnia possibilia sunt.*“ Matth. 19, 26. Revera omnium temporum historia ex numero divitum homines probatae, imo et eximiae virtutis exhibet.

b) Attamen consideratis tot tantisque salutis periculis hoc ditescendi studium merito *dissuaderi* debet. Hinc revelatio nos identidem ad comparandas divitias ordinis altioris hortatur: „*Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi aerugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur; thesaurizate autem vobis thesauros in coelo etc. Ubi enim thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.*“ Matth. 6, 19. etc. Itidem Apostolus: „*Est autem quaestus magnus pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum; haud dubium, quod nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his*

contenti simus." I. Tim. 6, 6. etc. De iis vero, qui opulentia gaudent, dicitur: „*Divitibus hujus saeculi praecipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in DEO vivo, qui praestat nobis omnia abunde ad fruendum, bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.*" Ib. 6, 17. etc. Prov. 30, 8.

Errant igitur, qui ita argumentantur: „*Unusquisque tenetur latiorem sibi agendi campum pro viribus aperire; atqui quo ditior fueris, eo latior tibi campus panditur; ergo tenetur quisque pro viribus ditescere.*" Verum si tum sortis augendae studium tum sors ipsa tot salutis periculis scatet, quis adeo desipiet, ut hominem ad subeundam hanc ancipitem aleam *obligatum* esse dicat? Doctrina evangelica studium istud adeo non officiis annumerat, ut illud potius vehementer dissuadeat.

§. 340.

Prudens administratio rerum.

1. Eadem ratio, quae generatim jubet, ut necessaria nobis comparemus, prudentem quoque illorum *usum et administrationem* expetit. Hunc in finem sequens principium praemitto: *In relatione nostra ad alios* equidem rerum nostrarum *domini* sumus, atque sic, quamdiu jura aliorum haud violantur, libera nobis earum administratio competit; ast *in quantum a DEO dependemus*, arbitrariae dispositioni nostrae nullus omnino locus relinquitur. Sub hac consideratione prout nos ipsi, ita et res prorsus omnes *in jure solius DEI* existunt, qui illas ideo nobis concessit, ut eas ad promovendum ultimum finem nostrum rite impendamus. Hinc omni rerum terrenarum usui vel *lex*

aliqua, vel *saltem consilium de bono meliori* scribitur, utpote qui DEUM *ex omnibus viribus* diligere jubemur.

Rigorem prorsus intolerandum iterum ostentant, qui rejectis consiliis circa omnem bonorum temporalium dispensationem *veri nominis obligationem* seu legem stricte talem adesse asseverant.

2. Quapropter in relatione nostra ad DEUM rerum nobis concessarum non domini, sed nonnisi administratores sumus, severam aliquando rationem villicationis nostrae reddituri. Parabola de minis, quas dominus servis suis ad negotiationem commiserat, non tantum dona spiritualia, sed etiam bona hujus temporis concernit. Luc. 19, 12. etc.

3. Porro DEUS haec bona neutiquam frustra, sed ad fines altiores atque ad promovendum finem ultimum nobis concessit; unde neque frustra seu absque sufficienti ratione illa erogare licet. Quisquis bona sua absque ratione sat solida dispensat, divinae voluntati aperte refragatur; saltem consilium de bono meliori negligit, siquidem expensis temere factis lex stricte talis haud obstet.

4. Ex quibus haud aegre inducitur, quid per *officium parsimoniae* intelligatur. Scilicet hoc officium talem bonorum temporalium dispensationem expetit, ut per expensas superfluas vel minus necessarias illis, quae ad nostram nostrorumque honestam sustentationem atque ad fines altiores necessaria videntur, haud derogetur. Unde quo angustiores sunt facultates nostrae, et quo plura nobis officia altioris ordinis incumbunt, eo magis ab expensis superfluis, seu ad solum splendorem vel voluptatem factis nobis temperare debebimus. Consequenter officium istud non tantum pro diversitate facultatum, sed etiam temporis aliarumque circumstantiarum diversimode coarctari solet.

Generatim tamen in servandis et expendendis bonis temporalibus nos neutiquam *anxios vel scrupulosos* esse oportet, praesertim in rebus minutioribus. Talis anxietas spiritualem profectum haud parum retardat, et facile in sordidam tenacitatem abit. Hominis christiani est, ut justa quidem cum circumspectione, attamen sine anxietate reditus inter et expensas legitimum ordinem statuat, ita ut necessaria utilibus, utilia commodis, atque commoda iis praeferantur, quae ad solum splendorem faciunt. Omnium minime talis anxietas tum locum obtineat, ubi de sublevandis *aliorum miseriis* agitur. In ejusmodi casibus etiam aliquid audere, et illius nos meminisse oportet, quod divinus Redemtor ait: „*Date, et dabitur vobis; mensuram bonam et confertam dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.*" Luc. 6, 38. Conf. II. Cor. 9, 10. etc. „*Feneratur Domino, qui miseretur pauperis, et vicissitudinem suam reddet ei.*" Prov. 19, 17. Et certe nemo ditior, quam cui DEUS est *debitor*.

5. Ast eadem divina voluntas exigit, ut expensas, quae omnibus consideratis necessariae vel saltem consultae videntur, non abnuamus. Et siquidem non veri nominis lex, sed dumtaxat consilium de bono meliori certas expensas urgeat, eum, qui huic consilio obsecundat, *liberalem* dicimus. Quare liberalitas non in ordine officiorum, sed *consiliorum* sistitur, atque genio charitatis praeprimis arridet, utpote cui proprium est, ut obsequia sua erga DEUM aeque ac proximum non ad ultimum apicem definiat, sed quantum per leges conceditur, mensura coagitata et supereffluenti utatur.

Sed haec eadem liberalitas vitiosa redditur, quoties ex mera jactantia vel quocunque affectu spurio promanat, aut dum legibus altioribus e. g. justae parsimoniae adversatur. Generatim tamen liberalitas cum parsimonia optime componi potest; haec sumtibus parcit, quos rationes altiores sibi vin-

dicant; liberalitas vero, ubi per officia graviora conceditur, consilium etiam de *bono meliori* exequi studet.

§. 341.

De neglectu justae administrationis et prodigentia.

1. Officiis mox recensitis illi inprimis desunt, qui per *turpem segnitiem* res suas obviis casibus atque injuriis exponunt. Pro gravitate materiae hic rerum neglectus reatum sat gravem importare potest, dum vel perfidis hominibus occasio furandi praebetur, vel res inutiliter computrescunt. Jac. 5, 2. Praesertim illi iterum graviter reprehendi merentur, ex quorum ignavia non tantum in ipsos, sed *etiam in alios*, e. g. in familiam notabile detrimentum redundat. Imo personae aliis inservientes, dum res sibi concreditas culpabiliter negligunt, tenentur etiam ad restitutionem.

2. Alterum vitium, quod justae rerum administrationi repugnat, est *prodigentia*, seu vesana profusio bonorum, dum nempe neglectis officiis altioribus bona temporalia temere dissipantur. Quare praeter perfidam rerum, quas DEUS homini concessit, administrationem haec prodigentia reatum eo majorem involvit, quo plura et graviora exinde officia violantur, nec non quo pejora praevidentur consectaria. Unde huic bonorum dilapidationi ingens malitiae augmentum accedit, si misera conjux, proles, creditores etc. impie defraudantur, vel omnino ad incitas rediguntur. Item dum in magna temporum calamitate neglectis egenorum lamentis opes ad luxum et meras delicias impenduntur. Luc. 16, 19. etc.

3. Insuper haec bonorum profusio plerumque *aliud quoddam vitium* supponit, cui famulatur. Ejusmodi sunt: Ambitio et inanis jactantia, vinolentia, consuetudo ludendi, pudendi amores etc.

Simul vero elucet, omnia fere vitia, ubi dominantur, aliquam speciem prodigentiae sibi annexam habere. Quamprimum enim affectus aliquis perversus dominari coepit, jam omnes vires et facultates hominis eidem deservire coguntur, adeoque non amplius quaeritur, quid officia nostra, sed tantum quid effrenati appetitus sibi deposcant.

4. Quapropter in emendandis hujus generis hominibus omnis conatus noster frustrabitur, nisi *vitium illud dominans* eradicetur; quamdiu fons non obstruitur, nulla emendatio sperari potest.

Aliter vero cum illis agendum est, qui non ex mentis pravitate, sed ex *congenita rerum incuria*, ex levi ac volubili ingenio, vel ex rationis inopia res suas disperdunt. Praesertim quoad pecuniam numeratam dantur, qui illam congruis usibus servare prorsus nescire videntur, et idcirco data prima opportunitate prodigunt. Tales igitur, donec illorum animus maturescat, optime sibi providerent, si libera rerum suarum administratione semet privarent, seque alienae tutelae subjicerent.

§. 342.

De avaritia.

1. *Avaritiam* communiter definiunt, esse inordinatum appetitum bona temporalia tum acquirendi tum conservandi. Unde duo quasi brachia sunt, quibus hoc vitium homines constrictos tenere solet, nempe *inordinata acquirendi cupiditas*, atque *sordida tenacitas* in erogandis bonis temporalibus. Dantur vero a prima hujus vitii labe usque ad ultimas sordes ejusdem plurimi gradus; unde etiam diversa illius malitia discerni potest. Ast omnem fidem superat, ad quantam dementiam homines per hoc vitium non raro devolvantur. Unde non tantum religio et doctrina moralis, sed ipsa quoque scena et satyra avaritiam exagitare consuevit. Avarus, ut S. Hier. ait, revera *hominum*

sibilus efficitur, eoquod nihil tam angusti atque parvi animi existimetur, quam amare pecuniam.

2. Itaque avaritia peccatum nonnisi leve constituit, siquis bonis terrenis inordinate quidem seu affectu nimio inhiat, ita tamen ut paratus sit illorum potius jacturam facere, quam violare *quoddam praeceptum graviter obligans.* Talis igitur ex hoc capite equidem „*salvus erit: sic tamen, quasi per ignem.*“ I. Cor. 3, 15. Sed quod maximopere dolendum est, nimis frequenter accidit, ut serpens iste, quamprimum aliqua illi rima aperitur, semet totum intrudat, omnemque hominis animum occupet. Quod ubi evenit, hic immoderatus rerum amor in culpam absque dubio gravem imputatur, quia tum scilicet vel habendi cupido vel turpis tenacitas in dominantem animi affectum abiit, adeo ut quis ex praepostero bonorum studio vel leges sub gravi obligantes et qua tales agnitas reapse transgrediatur, vel ad easdem transgrediendas saltem paratus sit. Atque hoc obtinet, sive avaritia *justitiae*, sive etiam *charitati* graviter adversetur. „*Discedite a me maledicti in ignem aeternum. — — Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare etc.*“ Matth. 25, 41. etc. Hanc affectuum terrenorum vesaniam Apostolus diserte *simulacrorum servitutem* vocat, Col. 3, 5., et iterato scribit, esse peccatum a regno DEI excludens; e. g. I. Cor. 6, 10., et Eph. 5, 5. „*Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet haereditatem in regno Christi et DEI.*“ Imo divinus Redemtor ipse asseverat: „*Nemo potest duobus dominis servire. Non potestis DEO servire, et mammonae.*“ Matth. 6, 24.

3. Ut hujus vitii perversitatem adhuc magis intelligamus, diversas iterum hominis relationes percensere juvat. Et quidem *in relatione ad DEUM*, prout paulo ante

notatum fuit, scriptura sacra avaritiam iterato *idololatriam* vocat, quippe cum omnia avari consilia DEO turpiter derelicto in solos nummos desinant, quasi bona hujus temporis ultimum hominis finem constituerent. Taceo cultus divini religionisque neglectum, quandoquidem, ut S. Aug. inquit, homines avari *non nummum propter DEUM impendunt, sed DEUM propter nummum colunt*, DEO utentes, fruentesque nummo. De civit. l. 2. c. 25. *Quantum ad semet ipsum* homo avarus semet ad turpissimam rerum infimarum servitutem deprimit, ita ut praeter labores et vigilias etiam famam, mentis tranquillitatem, imo et sanitatem ipsamque vitam suam impendat. Qualem denique erga alios se geret, qui sibi ipsi est nequam? Revera ejusmodi adeo obrigescunt, ut ad omnes aliorum planctus et miserias inflexibiles, excussoque humanitatis sensu vere saxei videantur. Ad hanc cordis duritiam accedunt *violentia*, qua ad supprimendos praesertim pauperes utuntur, *fraudes atque fallaciae, perjuria et pejerationes etc.* Scilicet „*avaro nihil est scelestius. Nihil est iniquius, quam amare pecuniam; hic enim et animam suam venalem habet.*“ Eccli. 10, 9. etc.

4. Illud denique singulare, quod in uno eodemque homine sordidam tenacitatem cum stulta rerum profusione saepe conjunctam videamus. Nempe ut sumtibus parcant, homines hac dementia capti ruinas leviores negligere, atque tamdiu exspectare solent, donec de toto periclitentur. Prov. 28, 22.

5. Ast etiamsi avaritia tantam turpitudinem involvat, paucissimi tamen hoc sese vitio laborare fatentur. Prout prodigi suam bonorum dissipationem titulo *liberalis ac generosi animi* obtegunt, ita plerique avarorum *justam parsimoniam* praetendunt. Verum ex hucusque dictis facile patet, qua ratione *parsimonia* ab *avaritia* differat, prout

etiam, quantum discriminis inter *liberalitatem* et *prodigentiam* detur. Interim haec ipsa mentis obcaecatio facit, ut homines avaritiae dediti difficillime corrigantur. Hunc in finem praeprimis de vitio suo apposite convinci debent; tum vero, ut terrestris sensus sopiatur, iterato *novissima hominis* illis proponantur, nempe mors certa incertaque hora, imminens judicium, fragor aeternitatis etc. Praecipue verba S. Jacobi 5, 1. et seq. huc faciunt.

§. 343.

Annotationes speciales de usu animantium.

1. Quae hucusque de comparandis adhibendisque bonis temporalibus generatim diximus, absque ulla restrictione de animalibus obtinent; nam et haec propter nos creata atque ad usus nostros destinata sunt. Et sane divina benignitas per animantia, praesertim domestica indigentiis nostris mire consuluit, ut adeo etiam ex hoc capite eidem singularem grati animi exhibitionem debeamus. Non minus ex consideratione regni animalis infinita DEI sapientia resplendet. Quisquis diversissimas animantium species oculo nonnihil attentiori perlustrat, sibi temperare vix potest, quin exclamet cum divo vate: „*Quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti; impleta est terra possessione tua.*“ Ps. 103.

2. Itaque etiam animantibus tali modo utendum est, ut tum *acquisitio* eorum tum *usus ipse* legibus moralibus nunquam repugnet. Et quidem ut plures alios abusus praetermittam, quibus regnum animale in summam DEI offensam, et hinc inde in ipsius naturae dedecus adhibetur, hoc loco duo tantum vitia commemoro, quibus animantium usus depravari solet, nempe indignam ad illa *affectionem*, et *inhumanam saevitiem*. Inprimis ergo nimia et indigna illa

affectio carpenda venit, qua nonnulli iisdem non tam favent, quam famulantur potius. Equidem ratio nostra haud refragatur, quin iisdem nos benignos, mites atque pro praestitis emolumentis aliquo modo gratos exhibeamus. Verum haec affectio degenerat, quoties dilecta animalcula nos ita sibi devinctos tenent, ut eorum amore nostris officiis desimus. E. g. dum talia illis impenduntur obsequia, quae vel nobismet ipsis vel aliis nociva aut periculosa sunt; item dum aliis, e. g. famulantibus minime necessariae et graves simul molestiae creantur; dum inordinatus luxus fovetur, atque ea, quae potius in pauperes fratres distribuenda forent, brutis inutilibus impenduntur.

3. Sed non minus ratio omnem adversus animantia petulantem saevitiem abhorret. Equidem eorum occisio nobis concessa est, praesertim ubi haec illorum caedes vel ad avertenda damna, vel ad victum, cultum et quaestum nostrum expediens fuerit. Attamen omnis crudelitas, qua *pro mero lubitu* torquentur, divinis consiliis aperte repugnat. DEUS enim etiam animantia sensu vitae pro illorum modulo jucundae donavit; absit ergo, ut hunc eorum sensum absque omni ratione vulneremus, vel ex mera affectus cruditate dolorem illis et cruciatum inferamus. Tum vero talis animalia torquendi consuetudo semper *indignam animi ferocitatem* supponit. Mens vel mediocriter humana hanc torquendi libidinem refugit, et pia compassione afficitur, ubi misera animantia casu, vel etiam urgente justa ratione graviter afflicta videt. Denique per hanc eandem versus animantia saevitiam affectus humanitatis magis semper *magisque hebetari solet*. Qui in bruta animalia desaevire consuevit, brevi etiam contra homines ferociet, omnisque fraternae commiserationis expers erit. Id quod ipsa experientia abunde confirmatur. Quam pium benignitatis sensum Testam. vetus erga animantia spiret, ex compluri-

bus ejusdem locis patet, e. g. Exod. 23, 5. et seq., Lev. 22, 24. etc., Deut. 25, 4.

§. 344.

De luxu.

1. Denique nonnulla *de luxu* adjicienda videntur. Ast vocabulum istud sensu perquam diverso accipi consuevit, unde tanta quoque sententiarum varietas invenitur. Nos quidem nomine *luxus* generatim sumtus largiores intelligimus, qui praeter ea, quibus natura indiget, etiam commoditatem et aliquem splendorem concernunt *). Ex qua descriptione patet, luxum universim nec approbandum nec damnandum esse; aeque enim fieri potest, ut rationi per revelationem illustratae conveniat, ac ut eidem adversetur.

2. Luxum *rationi convenientem* dicimus, qui tum ex honesta causa descendit, tum reliquis officiis, quibus quis tenetur, haud repugnat. Prima itaque conditio est, ut liberalior bonorum temporalium usus atque exquisitus rerum splendor non ex *sola superbia* vel *sensualitate*, sed ex ratione honesta descendat, saltem ita ut *rationes altiores* non excludantur. Ejusmodi rationes sunt decor status vel conditionis nostrae, mores patrii, ne aliis vilescamus etc.

3. Altera luxus honesti conditio est, ne expensae ad voluptatem vel splendorem factae *reliquis nostris officiis* repugnent, e. g. pudori, sanitati, regulis justae parsimoniae etc.

4. Quodsi neutra harum conditionum desideratur, usus rerum nonnihil amplior certe reprobari nequit; potius benignissimus Creator ipse mundum ita disposuit, ut praeter

*) Ejusmodi objecta sunt victus, vestitus, aedes, suppellectilia, praedia, horti, collectiones artefactorum etc. etc.

solas naturae indigentias etiam plurima ad honestam voluptatem atque ad splendorem hominis facta videantur. Imo luxus ad allatas regulas exactus humano generi haud pauca commoda affert. Etenim ipso luxu honestae artes, veluti architectura, pictura, sculptura, musica etc. coluntur et incrementa capiunt; et quis nescit, quantopere his artibus, siquidem religioni, prouti debent, serviant, adoratio, admiratio, ac filialis erga DEUM pietas aliique affectus religiosi excitentur? Porro cum harum artium ope immediate sensus aestheticus excolatur, mediate etiam ipsius quodammodo humanitatis sensus promovetur. Denique luxu moderato mutua hominum gentiumque exterarum connexio, commercia etc. foventur, et proinde saluti publicae vere consulitur. Profecto quam tristis totius Europae facies foret, si ad *limites solius necessitatis* adstricti gentium barbararum instar omnem vitae commoditatem splendoremque nesciremus! Astvero per honestum luxum coluntur artes, exercentur diversissimae vires, et hominibus pene innumeris occasio honesti laboris ac lucri praebetur, quo se suosque rite sustentent.

5. Verum etiamsi haec verissima sint, in praesenti tamen naturae corruptione, ut saepe monui, *ingens sollicitudo* requiritur, ne usus iste vel in merum egoismum desinat, vel cum reliquis officiis collidatur. Cum enim res terrenae sensuales appetitus vehementer titillent, nimis pronum est, ut tum voluptate tum splendore earum capti affectu nostro meras delicias consectemur, vel fastu et inani jactantia abripiamur. Scilicet, ut vir aliquis piissimus ait, in hac terrestri peregrinatione tot onera ferimus, quot hujus temporis curae mentem nostram sollicitant; et praesertim illa obstacula cursum nostrum retardare solent, quae fastui vel pruritui animali multum lenocinantur. In-

super in hac materia plurimae deceptiones occurrunt; saepissime enim res lautiores splendidioresque obtentu ipsius honestatis adhibemus, licet re penitius perspecta solus sensus depravatae naturae nos impellat. Quamprimum vero affectus noster hisce bonis inescatus fuerit, quid est proclivius, quam ut animus brevi etiam reliqua officia justo minus revereatur?

6. Quare datur quidem luxus honestus; attamen multa simul circumspectione et fortitudine opus est, ne fors non advertentes in transversum agamur. Hinc recte consulunt, ut quantum per rationes altiores licet, parciori potius quam effusiori rerum usui intenti simus. Fluvius quippe eo minora aquarum dispendia patitur, quo arctioribus ex utraque parte ripis continetur; ubi vero ejusdem aquae per adjacentes regiones diffluunt, facile exarescit, vel in coenosam paludem desinit.

§. 345.

Luxus vitiosus.

1. Ex dictis prone inferimus, qualis *luxus vitiosus* dicendus sit; ille nimirum, qui seclusis rationibus altioribus ex impetu solius corruptae naturae proficiscitur, ex superbia nempe vel sensualitate, vel qui etiam reliquis officiis adversatur. Vesanum foret luxum taliter descriptum tueri, cum utique hominem absolute dedeceat derelicto verae destinationis centro impulsum depravatae naturae sequi. Praesertim ubi *officia exinde graviora* violantur, homo tali luxui indulgens plurimis peccatis onustus in semet ipso misere contabescit, repudiatoque aeternitatis bravio horrendam sibi aeternitatem parat.

2. Verum aliqui ad *plurima emolumenta* provocant, quae ex luxu etiam depravato resultare solent; ceu talia jactantur cultus artium et scientiarum, morum urbanitas,

civium industria, negotiationes, commercia etc. Ast haec et ejusmodi commoda eatenus tantum curari merentur, quatenus morum honestati haud obstant; absit enim, ut quodcunque commodum temporale virtuti praeferendum ducamus. Atque hoc de tali luxu eo magis obtinet, quo plura alia peccata cum illo cohaerent, scilicet neglectus cultus divini, imo DEI ipsius oblivio, ruina rei familiaris, defraudatio creditorum pauperumque, innumera scandala etc. Cur denique patroni hujus luxus non etiam *illos effectus* commemorant, qui in apertam tum familiarum tum totius reipublicae perniciem vergunt? Nimirum per effusum luxum *a)* indigentiae hominum in immensum multiplicantur; atque dum media honesta tot expensis raro sufficiunt, subsidia mox *illicita* et *turpia* arripiuntur, ita ut tum fides tum pudicitia venalis fiat. *b)* Pariter *cura rei familiaris,* educatio prolium, imo et ipsa conjugiorum frequentia plurimum impeditur, eoquod in locis praesertim celebrioribus splendida familiae sustentatio ingentes sumtus deposcat, et simul effrenata libido obvie atque levi pretio expleri possit. *c)* Demum, ut multa alia omittam, effeminato animo *vires ipsius quoque corporis* enervantur, atque ferocientes stimuli simpliciora nobilioraque gaudia pertaesi hominem infra ipsam conditionem brutorum animantium deprimunt. Quantum exinde non tantum salus singulorum, sed totius etiam reipublicae labefactetur, historia sat energice perorat. Quoties retro actis temporibus gentes exhibentur, quae aliquamdiu animo et virtute celebres postea adinstar umbrae disparuerunt, annales illius aetatis semper effusum luxum ceu totius mali causam designant.

3. Quid religio nostra de hoc luxuriante rerum abusu doceat, neminem latere potest. Jam lex prima et regalis huic luxui ferale vulnus infligit, utpote quae jubet, ut diligamus DEUM ex toto corde, ex tota anima, ex tota

mente nostra, atque ex omnibus viribus, proximum vero sicut nos ipsos. Tum vero ea omnia huc applicanda veniunt, quibus concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitae toties reprobantur. Praesertim illa Redemtoris verba huc pertinent, quibus ait: „*Verumtamen vae vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. Vae vobis, qui saturati estis, quia esurietis. Vae vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis.*“ Luc. 6, 24. etc. Scilicet vera sapientia „*nec invenitur in terra suaviter viventium,*“ Job 28, 13., et propterea Redemtor noster „*dicebat ad omnes: Siquis vult post me venire, abneget semet ipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me.*“ Luc. 9, 23.

FINIS TOMI II.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Stapf, Joseph Ambrosius,

Theologia moralis in compendium redacta

Bd.: 2

Oeniponti 1832

Regensburg, Staatliche Bibliothek -- 999/Cas.279(1#2
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11299752-3